UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# De Congregationibvs Clericorvm In Commvni Viventivm

Le Mire, Aubert

Coloniæ Agrippinæ, 1632

urn:nbn:de:hbz:466:1-64608

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N. I
4. S.
Th. 4918.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# De CONGREGATIONIBVS CLERICORVM IN COMMVNI VIVENTIVM.

## VT THEATINORVM, SOCIETATIS IESV, BARNABITARVM, SOMASCHAE, ORATORII, DOctrinæ Chriſtianæ, & aliorum.

LIBER SINGVLARIS.

AVBERTVS MIRÆVS BRVXELLENSIS, DECANVS ANTVERPIENſis publicabat.

Colleg. S. J. Paderb.




COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BERNARDI GVALTHERI.
Anno M. DC. XXXII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illuſtriſſimo Domino,

# D. NICOLAO ALBERTO

GNIEVVOSZ DE OLEXOVV,
SERENISSIMI REGIS POLONIÆ

# LEGATO

AD REGEM CHRISTIANISSIMVM,
ET AD SERENISSIMAM
ISABELLAM CLARAM EVGENIAM
HISP. INFANTEM,
ABBATI COPRIVICIENSI &c.

COEnobiticæ ſeu communis vitæ ratio quantum boni Eccleſiæ & Reipublicæ vniuerſæ, quantum commodi ſingulis adferre ſoleat, nemo eſt qui neſciat. In primo naſcentis Eccleſiæ exordio, APOSTOLI eorumque aſſeclæ id agnouerunt; vt in eorundem Actis cap. 4 Lucas commemorat: *Multitudinis credentium*

*erat cor vnum, & anima vna; neque quiſquam eorum quæ poßidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Quotquot enim poſſeßiones agrorum aut domorum erant vendentes, adferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum: diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.*

Hæc fuit prima Chriſtianiſmi in vrbe Hieroſolymitana facies. Iſtiuſmodi inſtituti & Alexandriæ in Ægypto princeps atque anteſignanus fuit S. Marcus Euangeliſta: vt Caſſianus libro ſecundo capit. 5. & Hieronymus in Marci Vita commemorant. Ex Oriente in Occidentem perfectior illa & à tumultu populari ſeductior viuendi formula paulatim tranſijt. In Italia Sanctus EVSEBIVS Vercellenſis Epiſcopus ex Thracia (vbi pro cauſſa religionis exulauerat) domum redux, *primus*, vt S. Ambroſius loquitur, *in Occidente vitam monaſticam cum clerica coniunxit, & quod admirabile eſt, in ſancta Eccleſia Vercellenſi eoſdem monachos inſtituit, quos clericos, hoc eſt,* clericos more Monachorum in communi viuentes.

Quod

Quod ipſum præſtantiſſimum vitæ genus S. AVGVSTINVS in Africam poſtea tranſuexit. De Auguſtino lubet ipſum Poſſidium, eius diſcipulum & vitæ ſcriptorem, audire loquentem: *Factus presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam; maximè vt nemo quidquam in illa ſocietate proprium haberet, ſed eis eſſent omnia communia.* Monaſterium, inquā, non Monachorū, ſed clericorū in cōmuni, inſtar monachorū viuentium, inſtituit. Quod quidem ex ſubſequentibus Poſſidij verbis clarè datur intelligi: *Proficiente,* inquit, *doctrina diuina, ſub Sancto & cum ſancto Auguſtino in monaſterio Deo ſeruientes Eccleſiæ Hipponenſi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innoteſcente & clareſcente de die in diem Eccleſiæ catholicæ prædicationis veritate, ſanctorumque ſeruorum Dei propoſito continentiæ & paupertate profunda, ex monaſterio, quod per illum Venerabilem virum & eſſe & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & clericos pax Eccleſiæ atque vnitas & cœpit primò, & poſtea conſecuta eſt.*

Curſu deinde temporis, vt fieri ſo-

let, collapſam Clericorum ſeu Canonicorum ( quos olim in communi vixiſſe, nemo antiquitatis Eccleſiaſticæ peritus ignorat) diſciplinam Patres concilij AQVISGRANENSIS, Ludouici
816 Pij Imp. hortatu, anno ſalutis octingenteſimo ſexto decimo, inſtaurarũt; Formá inſtitutionis Canonicorum & Sanctimonialium canonicè viuentiũ conſcriptâ & publicatâ. Quas quidem Canonicorum & Canonicarum virginum vitæ Regulas, à Iacobo Sirmondo Soc. Ieſu Theologo, ad fidem veterum codicum manuſcriptorum collatas & caſtigatas, atque in ſecundum volumen Conciliorum Galliæ relatas, à pauciſſimis noſtri ordinis hominibus legi miror, ne dicam indignor.

Vt ad ſæcula nobis viciniora veniam, ante annos plus minus ducentos quinquaginta *Gerardus Magnus*, Fratrum ſeu Clericorum vitæ communis conditor, floruit; qui quidem celeberrimas olim ſcholas per Germaniam inferiorem habuerunt, quoſque Pe-

trus

trus Ribadeneira, in vita S. Ignatij Loiolæ, illo nomine laudat ac commendat. Superiore ſæculo *Ioannes Petrus Caraſa*, Pontifex Maximus Pauli IV. nomine poſtea clarus, Theatinos, *Bartholomæus Ferrarius* Barnabitas, *S. Ignatius Loiola* Societatem Ieſu, *Hieronymus AEmilianus* Somaſchenſes, *S. Philippus Nerius* Presbyteros Oratorij in Italia, *S. Carolus Borromæus* Oblatos S. Ambroſij *Camillus Lælius* S. Philippi Nerij diſcipulus, Clericos Regulares Miniſtrantes infirmis, *Ioannes Auguſtinus Adornus* Clericos regulares Minores, *Cæſar Buſius* Clericos Doctrinæ Chriſtianæ, & noſtra demum ætate *Petrus Berulius* Presbyteros Oratorij Domini Ieſu in Gallia viciniſque prouincijs, inſtituerunt.

Harum omnium piarum Congregationum initia atque incrementa, ILLVSTRISSIME DOMINE, cum vnum in corpus collegiſſem, & liber ſub typis Colonienſibus caleret, eo ipſo tempore quo Illuſtriſſima Dominatio veſtra legationem illuſtrem,

nomine Sereniſſimi Sigiſmundi Regis Poloniæ, ad Regem Chriſtianiſſimum Ludouicum XIII. & ad Sereniſſimam Iſabellam Claram Eugeniam Hiſpaniarum Infantem feliciter obibat, non alius mihi patronus quærendus fuit, quam is qui iſtiuſmodi piis ſacriſque inſtitutionibus carperetur ac delectaretur. Et verò ſæpè mihi in mentem venit illius ſermonis, quem de rebus iſtis vna Antuerpiæ non ſemel habuimus: quo nomine plurimùm mihi gratulor, quod alterum ſcilicet HOSIVM Poloniæ quã vtiliſsimum ac glorioſiſsimum, vt ominor, futurum coram noſſe, & quæ ſingularis Veſtra humanitas fuit, familiariter vti, magno meo bono ac commodo, datum fuerit. Plura non addo, ne gratiam captare videar, & ne modeſtiæ Veſtræ, quam omnes admirantur ac ſuſpiciunt, ſim moleſtus. Vno verbo liceat ſororis meæ filium, *Aubertum Ædium Miræum*, Canonicum Antuerpienſem, quem Illuſtriſsima

Domi-

Dominatio Veſtra ad ſe in Galliam euocare, & Eleemoſynarij ſui munere in iſta legatione honorare dignata fuit, de meliore nota commendare; Deumque precari, vt honorum incrementis eamdem augeat, atque in vniuerſæ Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ, atque in primis Regni Polonici bonum diutiſsimè ſoſpitet. Antuerpiæ ipſis Cal. Ian. M. DC. XXXII.

*Illuſtriſsimæ Dominationis Veſtræ ſtudioſiſsimus*

AVBERTVS MIRÆVS.

# INDEX CAPITVM.

CAPVT I. *Congregatio Fratrum ſeu Clericorum vitæ communis à Gerardo Magno Dauentrienſi, Canonico Vltraiectenſi & Aquiſgranenſi, circa annum 1376. inſtituta.* pag. 3

CAP. II. *Congregatio clericorum regularium, qui poſt Theatini ſunt nuncupati, à Ioanne Petro Carafa, tunc Epiſcopo Theatino, poſt Paulo IV. Pontifice Maximo anno 1524. confirmatur.* pag. 9

CAPVT III. *Congregatio clericorum regularium, qui poſtea S. Pauli cognomentum induerunt, & vulgò Barnabitæ dicuntur; à Bartholomæo Ferrario, eiuſq; ſocijs in vrbe Mediolanenſi inſtituta, per Clementem VII. anno 1533. confirmatur.* pag. 14.

CAP. IV. *Congregatio ſupradicta Clericorum regularium à Clemente III. approbata, per Paulum III. titulo S. Pauli donatur, & varijs priuilegijs augetur, anno 1533.* pag. 16

CAP. V. *Monaſteria ſeu Collegia Barnabitarum, ſiue Clericorum regularium S. Pauli.* pag. 23.

CAP.

Cap. VI. *Societas Ieſu à S. Ignatio Loiola inſtituta, per Paulum III. confirmatur an.* 1540 *pag.* 25
Cap. VII. *Catalogus Prouinciarum, Domorum, Collegiorum, Seminariorum, ac Reſidentiarum Societatis Ieſu, anno* 1627. *publicatus. pag.* 35
Cap. VIII. *Societas Hoſpitalaria Somaſchenſis, pro ſubuentione pauperum orphanorum & mulierum conuertitarum, vt vocant, ab Hieronymo AEmiliano Veneto inſtituta, per Paulum III. anno* 1540. *approbatur. pag.* 69
Cap. IX. *Pius V. Papa Somaſchenſibus dat Eccleſiam S. Maioli Papienſis, & tribus votis monaſticis ipſos aſtringit. pag.* 75
Cap. X. *Congregatio Presbyterorum Oratorij, à S. Philippo Nerio fundata, per Gregorium XIII. an.* 1575. *approbatur & ſtabilitur: pag.* 84
Cap. XI. *Gregorius XV. anno* 1622. *confirmat Decretum, quod vnaquæque domus Congregationis Oratorij ſe ipſam per ſe regat, nec plures inſimul vniri valeant; & ſtatuit vt in quolibet loco non niſi vna domus erigi poßit, nec locorum Ordinarij vllam dictæ Congregationis domum, niſi iuxta Statutorum eiuſdem formam, viſitare poßint. pag.* 96.
Cap. XII. *Oratoria per Italiam & Galliam exſtructa, inſtar Romani. pag.* 79
Cap.

Cap.XIII. *Bulla Canonizationis B. Philippi Nerii, quem Gregorius XV. Papa, vnâ cum Beatis Iſidoro, Ignatio Loiola, Franciſco Xauerio, & Tereſia, Sanctorum numero adſcripſit, ab Vrbano VIII. expedita.* p.100.

Cap.XIV. *Congregatio Oblatorum S. Ambroſii, à S. Carolo Borromæo, Cardinale & Archiepiſcopo Mediolanenſi inſtituta.* p.12

Cap.XV. *Congregatio Clericorum regularium Miniſtrantium infirmis, per Camillum Lælium, S. Philippi Nerii diſcipulum, eiuſq; ſocios inchoata, à Sixto V. Papa an.* 1586. *confirmatur.* p.137

Cap.XVI. *Confraternitas ſeu Societas Sanctiſſimæ crucis in diœceſi Vicentina inſtituitur, & ab Auguſtino Valerio Card. & Epiſcopo Veronenſi, itẽque à Michaele Priolo Epiſcopo Vicentino, confirmatur, an.* 1586. p.142

Cap.XVII. *Congregatio Clericorum Regularium Minorum, à Ioanne Auguſtino Adorno inſtituta, per Sixtum V. anno* 1588. *approbatur.* p.144.

Cap.XVIII. *Catalogus Domorum & Collegiorum Congregationis Clericorum regularium Minorum.* p.154

Cap.XIX. *Congregatio Clericorum ſæcularium, Doctrinæ Chriſtianæ, à Cæſare Buſio & P. Romillonio an.* 1592. *in vrbe Auenionenſi inchoata, vnitur cum Congregatione S. Maioli Papienſis ſeu Somaſchæ, per Paulum V. an.* 1616. p.155

Cap.XX. *Congregatio Clericorum ſæcularium B. Mariæ in communi viuentium, ab Alexandro Lucenſi Epiſco-*

Epiſcopo anno 1583. inſtituta, per Clementem VIII. an. 1595. confirmatur. p. 132

Cap. XXI. Regimen ſcholarum piarum, ad pauperes, gratis erudiendos inſtitutarum, Congregationi Clericorum ſæcularium B. Mariæ à Paulo V. anno 1614. committitur. p. 167

Cap. XXII. Congregatio Oratorii Ieſu Chriſti (quæ eſt piorum Sacerdotum in communi viuentium) in regno Franciæ à Petro Berulio, pòſt S.R.E. Cardinale, inſtituta per Paulum V. an. 1613. confirmatur. p. 172

Cap. XXIII. Domus & Collegia Presbyterorum Oratorii Domini Ieſu, in Regno Franciæ & alibi, pag. 184.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# APPROBATIO.

Liber, cui titulus eſt: De Congregationibus Clericorum in Communi viuentium &c. Authore AVBERTO MIRÆO Decano Antuerpienſi, vtiliter & ſine offenſione typis euulgari poterit. Coloniæ 3. Decemb. 1631.

*Henricus Francken Sierſtorffius SS. Th. D. Gymnaſii Laurentiani Regens, librorum Cenſor.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# De CONGREGATIONIBVS CLERICORVM IN COMMVNI viuentium.

## CAPVT I.

*CONGREGATIO FRATRVM SEV CLERIcorum vitæ communis, à Gerardo Magno Dauentrienſi, Canonico Vltraiectenſi & Aquiſgranenſi, circa annum 1376. inſtituta.*

GERARDVS MAGNVS, Dauentriæ ad Iſalam fl. in Germania inferiore natus, Fratrum ſeu Clericorũ vitæ cõmunis auctor atque inſtitutor, anno ſalutis milleſimo trecẽteſimo octogeſimo quarto in Domino obdormiuit: cuius vitam Thomas Kempenſis copiosè deſcripſit. Fuerat is olim Vltraiectenſis & Aquiſgranenſis Canonicus: quibus dignitatibus, quamquam opimis, cum maxima patrimonij parto, poſtmo- 1384

dum ſponte relictis, totum ſe Deo proximorumque ſaluti procurandæ tradidit. De eo ſic Chriſtianus Maſſæus in ſuo Chronico:

*Gerardus, cum eſſet Pariſijs doctiſsimus, relictâ Sarbonâ, Dauentriam redijt, vnde erat oriũdus. Fratres illic inſtituit, qui ſcholas tenerent, & non tantùm litteras, ſed mores quoque diſcipulos ſuos, & benè viuere edocerent. Viuunt autem in communi, ſecundum inſtituta primitiuæ Eccleſiæ, ſine proprio, ſine mendicitate, diœceſanis ſuis ſimpliciter ſubditi. Quò autem tunc ſinceriùs ſeſe geſſerunt, eò violentiùs antiquus hoſtis ſe illis oppoſuit. Suſcitauit illis detractores multos: quorum vnus in Concilio Conſtantiæ celebrato auſus eſt dicere, eos eſſe ex illis, quos dudum Romani Pontifices, Bonifacius, Clemens & Ioannes exterminauerant. Cui calumniæ viriliter reſtitit Ioannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, tunc in ipſo Cõcilio præſens, eoque perpulit hominem, vt ipſe cum libello famoſo, quem ſenatui legerat, igni adiudicaretur. Tunc fratres qui aderant aduoluti iudicũ pedibus, precabantur veniam reo, vt liber tantùm incenderetur, non auctor. Annuitur precibus ſupplicantium, & incenſo volumine iuſsus eſt auctor exire prouincia, nec ampliùs innocentes infamare. Pro quibus in eodem Concilio præfatus Gerſon pulcherrimum tractatum edidit, oſtendens eos non minùs eſſe religioſos alijs, qui religionis nomine nuncupantur. Quos dictum Concilium, præſidente*

*dente Martino Quinto, plurimum corroborauit, modumque viuendi comprobans, hortabatur viriliter agere, ſcholas erigere, ad pietatem diſcipulos inſtituere, quibus Eccleſia Dei fulciretur, quibuſq; vel maximè tūc indigebat. Vidi ego ante annos multos, præter dictum volumen Gerſonis in Buſcoducis, etiam apud Bruxellam multas Eugenij VI. & Pij II. litteras,* perpulchra *priuilegia ipſis Fratribus indulta continentes.* Hactenus Maſſæus.

Alibi tamen legi, iſtud Fratrum in communi, ſub regula S. Auguſtini, viuentium inſtitutum, anno 1367. à Gregorio XI. Pont. Max. fuiſſe adprobatum. Id diſertè in prœmio Officij Eccleſiaſtici Eremitarum Auguſtinianorum, Venetijs, Louanij & alibi excuſi, vbi Ordines vniuerſi ſub D. Auguſtini ſignis militantes recenſentur, his verbis exprimitur: *Ordo vitæ communis à Gerardo Teutonico inſtitutus, & à Gregorio XI approbatus ann 1376. ſub regula Sancti Auguſtini.* Cuius rei (ſi tamen vera) miror nullam apud Maſſæum, huius inſtituti ſodalem, nec apud Thomam Kempenſem, fieri mentionem.

Ceterum Fratres ſeu Clerici vitæ communis, in Germania noſtra inferiore primi litteras humaniores excitarunt, & plurima olim eaque celeberrima (vt hodie Patres Soc. Ieſu) per Galliam Belgicam, Germa-

niamq́ue gymnaſia habuere; in his *Dauen-trienſe, Suollenſe, Druſoburgenſe, Vltraiectenſe, Groningenſe* & *Gaudanum* apud Batauos & Friſios,, *Machinienſe, Bruxellenſe* & *Siluiducēſe* in Brabantia; *Gandenſe, Gerardi-montenſe* & *Vuinnoci-bergenſe* in Flandria; *Nouiomagenſe* in Geldria; *Embricenſe* & *Veſalienſe* apud Cliuios; *Leodicenſe* item, *Cameracenſe, Colonienſe*, aliaque alibi. Hodie, præter Coloniē-ſe, Veſalienſe, & alia aliquot Fratrum domicilia, cetera ferè temporum iniquitate deſierunt, aut alijs religioſis hominibus ſunt attributa, aut in Seminariorum ſeu collegiorum vſum conuerſa.

Fuêre autem inter Fratres plurimi cùm vitę ſanctitate, tum doctrina illuſtres: quorum res geſtas Thomas Kēpenſis, ipſorum diſcipulus, ad poſteros trāſmiſit. Inter eos, qui ſcriptis ſibi famam pepererunt, *Gerardus Sutphanius*, ſcriptor aſceticus, *Gabriel Biel*, Theologus Tubingenſis, *Chriſtianus Maſſæus*, Chronographus, & *Georgius Macropedius*, Comœdus ac Philologus, eminent. Ex ipſorum verò ſcholis plurimi libris editis clari, & dignitatibus illuſtres viri, vt ex Dauentrienſi *Thomas Kempenſis, Alexander Hegius, Deſ. Eraſmus Roterodamus*, & *Ioannes Murmillius*; Ex Embricenſi *Matthias & Tilmannus Bredenbachij*; ex Nouiomagenſi *Petrus Caniſius*, & *Buſæi* fratres ex Mechliniēſi

*Matthias*

*Matthias Houius*, Archiepiſcopus Mechlinienſis, ex Vltraiectenſi *Cornelius Valerius*, *Henrius Cuquius*, Epiſcopus Ruremondenſis, *Franciſcus Haraus* & *Henricus Sedulius*; ex Bruxellenſi *Ioannes Miraus*, Epiſcopus Antuerpienſis; ex Vuinnoci-bergenſi *Ioannes Deſpauterius*; ex Silui-ducenſi *Ioannes Nemius*, *Simon Verepaus*, *Chriſtophorus Vladeraccus* (quorum poſtrem; & Fratribus in ecudienda iuuentute auxilio fuere) alijque prodierunt.

Ceterùm Gerardo Magno & Fratrum vitæ communis familiæ, ab ipſo inſtitutæ, origině ac progreſſum ſuũ debet Capitulũ ſeu Congregatio WINDESIMENSIS, quæ eſt Canonicorũ Regularium, hodieq; per Germaniam noſtrã inferiorem ac ſuperiorem celebris: vt Thomas Kempenſis in vita eiuſdem Gerardi his verbis teſtatur:

*Habuit Gerardus propoſitum ædificandi monaſterium clericorum Ordinis Canonicorum regularium, volens quoſdam de idoneis clericis ſibi adhærentibus, ad religionis habitum promouere: vt alijs deuotis eſſent in exemplum, & aduentantibus aliunde clericis vel laicis bona conſeruationis iter oſtenderent.*

*Ad hunc ordinem regularium inſtituendum, præcipuo inductus fuit, propter ſingularem reuerẽtiam & amorem venerabilis domini Ioannis Ruſebroec, primi prioris Viridis Vallis, & aliorum*

*ibidem religioſè conuerſantium probatiſsimorum fratrum, in ordine regulari, quos dudum perſonaliter in Brabantia viſitauerat: à quibus magnam ædificationis formam, ob multam ipſorum humilitatem & ſimplicis habitus deferentiam, traxit & annotauit. Cùm igitur pro loco religioni apto, & monaſterio fundando diligenter inſtaret, mortalitate præuentus non potuit perficere, quod optauit; ſed Deo intentum voluntatis ſuæ pro operis effectu obtulit, ac totum deſiderium monaſticæ conſtructionis, cariſsimis diſcipulis ſuis, ab eo conuerſis, perficiendum commiſit hortans, ne tantum bonum ipſo defuncto ſopiretur, ſed pro honore Dei ampliando, omnes pariter conſilium præſtarent, & iuuamen. Ex his fuerunt, qui monaſterium in VVindeshem, & domum S. Agnetis in monte prope Suollas, primitus, Deo iuuante, fundauerunt.*

Ceterùm quibus potiſſimum auctoribus, ex iſto Fratrum ſeu vitæ communis clericorum cœtu, Congregatio Windeſhemenſis primùm cœperit, adoleuerit, atque ad ſummam vitę perfectionem peruenerit, accurate deſcribit Arnoldus Buſchius, in ſuo libro de origine viriſque illuſtribus Capituli ſeu Congregationis windeshemenſis, Antuerpiæ annis ſuperioribus edito.

(∴)

CAPVT

# CAPVT II.

CONGREGATIO CLERICORVM *regularium,qui poſt Theatini ſunt nuncupati, à Ioanne Petro Caraſa, tunc Epiſcopo Theatino ,pòſt Paulo IV. Pontifice Maximo,inſtituta,per Clementem VII. Papam anno 1524. confirmatum.*

CLEMENS Papa VII. venerabili fratri IOANNI PETRO, Epiſcopo Theatino, & dilecto filio CAIETANO, presbytero Vicentino,ac eorum ſocijs, & ſucceſſoribus. Exponi nobis nuper feciſtis, quod vos, & nonnulli alij eiuſdem propoſiti, ſocij veſtri,diuina, vt creditur, inſpiratione ducti, cupientes cum maiori animi quiete, Deo ſeruire, & illi magis pio deſiderio adhærere poſſe, tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ vota emittere, & ſub ſolito ac communi habitu clericali in vnum habitantes,& in communi viuentes,ac Deo humiliter; & deuotè, quantum ipſe dederit,ſeruientes,ſub noſtra, & Apoſtolicæ ſedis humili & immediata ſubiectione, & ſpeciali protectione,clericalem vitam ducere decreuiſtis, ſupplicarique nobis feciſtis,vt de noſtræ,atque huius S.Sedis Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ſolitaq; clementia,

mentia, in præmiſſis benignè annuentes, de eis, quæ ad huius vitæ propoſitum conducere, aut quomodolibet expedire videtur, vobis ſocijs, ſucceſſoribuſque veſtris prouidere dignaremur.

Nos, qui omnium Chriſti fidelium pijs, & honeſtis deſiderijs libenter annuimus, veſtrum in hac parte laudabile deſideriū, plurimum in Domino commendantes, veſtriſque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum, vt quandocunq; viſum fuerit, poſſitis tria ſubſtātialia religioſæ vitæ vt petitis, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota publicè emittere & in manibus cuiuſcunque presbyteri ſecularis, vel cuiuſuis ordinis regularis, ſolēniter profiteri, ac ſub ſolito & communi habitu clericali, ſubque nomine & nuncupatione *Clericorum regularium*, in communi ac de communi viuētes, in locis religioſis, aut ſæcularibus, prout vobis ab illis, quorū loca ipſa fuerint, conceſſum fuerit, ſeu expedire videbitur, ſub noſtra & S. huius Sedis Apoſtolicæ immediata ſubiectione & ſpeciali protectione, in vnum habitare.

Atque ex vobis, inter vos ſingulis annis Superiorem eligere, *Præpoſitum* nuncupandum, qui vſque ad triennium, & nos vltra con firmari poſſit.

Alioſque quoſcunq; ſeculares clericos,

qua-

quauis dignitate fulgentes, ſeu Laicos, qui, Deo inſpirante, ad huiuſmodi vitæ propoſitæ, & communem viuendi modum ſeſe conferre voluerint, recipere, & poſt annuã probationem, ad talem trium votorũ profeſſionem in manibus Superioris, ſeu Præpoſiti emittendam, & ad huiuſmodi communem viuendi modum admittere.

Nec nõ ſtatuta quæcunq; ordinationes & conſtitutiones de omnibus & ſingulis, quæ ad huiuſmodi vitæ propoſitũ conducere, moreſq; & inſtitutum honeſtæ & deuotè clericaliter viuendi concernere videbuntur, de Miſſis præcipuè, & alijs diuinis officijs, ſeu horis canonicis, prout vobis melius videbitur, celebrandis, & recitãdis, licita tamen & honeſta, rationabilia, & bonis moribus & ſacris canonibus nõ cõtraria, facere, edere, & pro tẽpore facta, edita corrigere, reformare, vel in parte, vel in totum immutare, ac de nouo alia, prout vobis expedire videbitur, inſtituere, & ordinare, ac iuxta illa viuere. Quæ poſtquam à vobis condita, edita, reformata, inſtituta, aut immutata, & ordinata, ac nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris exhibita fuerint Apoſtolica auctoritate approbata, & confirmata ſint, & eſſe cenſeantur.

Et vt omnibus, & ſingulis priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgentijs, facul-

facultatibus, libertatib⁹, auctoritatib⁹, indultis, fauorib⁹, conceſſionibus, & gratijs, Spiritualibus & tēporalibus, quibus potiuntur, & gaudent, ac in futurum potientur & gaudebunt. *Canonici regulares Lateranenſis Congregationis*; perſonæ & loca eorum, vos, perſonæ, & loca veſtra, vti, potiri, & gaudere poſſitis, Quorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, ita vt litteræ Apoſtolicæ ſuper eiſdem priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, conceſſionibus, & gratijs, eiſdem conceſſis, vel pro tempore concedendis, mutatis duntaxat nominibus, cognominibus, & innocationibus & diebus, ad libitum veſtrum expediri poſſint, perinde ac ſi illa omnia & ſingula, non ſolùm per clauſulas generales, ſed per eorum tenorum de verbo ad verbum expreſſionem & inſertionē, fuiſſent vobis per has noſtras litteras, ſub hac ipſa die, expreſsè & ſpecialiter conceſſa, tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia, & ex Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, vobis ac ſocijs, & ſucceſſoribus veſtris, in perpetuum concedimus pariter, & indulgemus, & ad præmiſſa omnia, & ſingula quibuſcunque impedimentis, & contradictionibus amotis, liberam plenamq; auctoritatem, & facultatem elargimur.

Non

Non obſtantibus nomine, dignitate, & officio Epiſcopali, quæ IOANNI PETRO ſupradicto per alias noſtras litteras reſeruauimus, Apoſtoliciſque aut alijs generalibus, aut ſpecialibus conſtitutionibus, ordinationibus, etiam iuramento, aut alia quauis firmitate roboratis, etiam ſi quæ ſpecialiter, ſeu de verbo ad verbum exprimenda eſſent, quæ pro expreſſis haberi, & quibus, quo ad effectum præſentium duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, alijſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Iunij 1524. Pontificatus noſtri anno primo. 1524.

## NOTATIO.

*Ioannes Petrus Caraſa anno 1476. nobiliſſimo genere natus, primum aulæ Pontificiæ Cubicularius, pòſt Theatinus in regno Neapolitanæ Epiſcopus, ac demum Paulus IV. Pontifex Maximus, anno 1560. deceßit. Is Theatinus Epiſcopus tum eſſet, cum Caietano Thieneo, Bonifacio à Colle, & Paulo Conſiliario Ordinem Clericorum regularium 1524. inſtituit. Horum quattuor Vitas Antonius Caracciolus, eiuſdem Congregationis regularis, ſcripſit, & Coloniæ anno 1612. publicauit.*

## CAPVT III.

CONGREGATIO CLERICORVM *regularium, qui poſtea S. Pauli cognomentum induerunt, & vulgò Barnabitæ dicuntur, à Bartholomæo Ferrario, eiuſque ſocijs in vrbe Mediolanenſi inſtituta, per Clementem VII. Anno 1533. confirmatur.*

CLEMENS Papa VII. dilectis filijs BARTHOLOMÆO FERRARIO, & ANTONIO MARIÆ ZACHARIÆ, presbyteris, Mediolanenſi & Cremonenſi. Vota, per quæ vos, in humilitatis Spiritu, perennis vitæ præmijs digniores effici, veſtræque & aliorum animarum ſaluti conſulere poſſitis, libenter ad exauditionis gratiã admittimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis.

Exponi ſiquidem nobis feciſtis, quòd, vos, cũ tribus alijs veſtræ voluntatis ſocijs, vt liberius diuinis beneplacitis inſiſtere, & quæ Dei ſunt perquirere poſſitis, cupitis profeſſionem trium votorum ſubſtantialium Religionis, in manibus venerabilis fratris Archiepiſcopi Mediolanenſis, ſeu eius in ſpiritualibus vicarij generalis, emittere, & inſimul in aliquo loco ciuitatis ſeu Diœceſis Mediolanenſis, per vos elig do, morari, & permanere. Quare nobis feciſtis humiliter ſupplicari, vt piæ veſtrę intentioni hu-

ni huiuſmodi paternè annuere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur.

Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & veſtrũ ſingulis, vt profeſſionem ipſam in eiuſmodi Archiepiſcopi ſeu Vicarij, qui verò de cætero ad vos conuerti voluerint, inalterius veſtrum, ſeu Præpoſiti veſtræ Congregationis, pro tempore exiſtentis, manibus profeſſionem trium votorum eorumdem emittere, & inſimul ſub obedietia tamen Ordinarij loci, in ipſo loco per voseligendo, cohabitare, ac in communi viuere.

Nec non pro veſtro, & rerum veſtrarum ſalubri ſtatu & directione, quæcunque ſtatuta, & ordinationes, rationabilia & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria condere, & facere, illaque, vt vobis pro temporum qualitate expedire videbitur, mutare, & in totum tollere, aliaq; illorum loco de nouo facere, liberè & licitè valeatis.

Apoſtolicis ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrarijs nequaquã obſtantibus; Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus; eiſdẽ præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Bononiæ, ſub annulo Piſcatoris,

die

die 18. Februarij, 1533. Pontificatus noſtri anno decimo.

## CAPVT IV.

CONGREGATIO *SVPRADICTA Clericorum regularium à Clemente VII. approbata, per Paulum III. titulo S. Pauli donatur & varijs priuilegijs augetur. anno 1535.*

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs ANTONIO MARIÆ DE ZACHARIIS, & BARTHOLOMÆO DE FERRARIIS presbyteris, Cremonenſi & Mediolanenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Dudum felicis recordationis CLEMENTI Papæ ſeptimo, prædeceſſori noſtro, pro parte veſtra expoſitum, quòd vos cum tribus alijs veſtræ voluntatis ſocijs, vt liberius diuinis beneplacitis inſiſtere, & quæ Dei erant perquirere poſſetis, cupiebatis profeſſionem trium votorum ſubſtantialium Religionis in manibus tunc Archiepiſcopi Mediolanenſis, ſeu eius tunc Vicarij in Spiritualibus generalis, emittere, & inſimul in aliquo loco ciuitatis, ſeu diœceſis Mediolanenſis, per vos eligendo, morari ac remanere, idem prædeceſſor veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinatus, vobis & veſtrum ſingulis, vt profeſſionem ipſam in eiuſdem Archiepiſcopi ſeu Vicarij, qui

verò

verò ad vos de cætero conuerti vellent, in alterius veſtrum, ſeu Præpoſiti veſtræ Congregationis pro tempore exiſtentis, manibus profeſſionem trium votorum eorumdem emittere, ac inſimul, ſub obediẽtia tamen Ordinarij loci, in ipſo loco per vos eligendo cohabitare, & in communi viuere, nec non pro veſtro, & rerũ veſtrarũ ſalubri ſtatu ac directione, quæcunq; ſtatuta & ordinationes, rationabilia & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria condere & facere, illaque, vt vobis pro temporũ qualitate expedire videretur, mutare, & in totum tollere, aliaque, illorum loco de nouo facere, liberè & licitè valeretis, conceſſit, & indulſit; prout in eiuſdẽ prædeceſſoris litteris deſuper, in forma Breuis confectis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, vos & nonnulli alij eiuſdem voluntatis ſocij veſtri, qui profeſſionem aliquam nondum emiſiſtis, diuina, vt creditur, inſpiratione ducti cupientes, cum maiori animi quiete Deo ſeruire, & illi magis adhærere poſſe, tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, paupertatis ſcilicet, & caſtitatis, & obedientiæ vota emittere, & ſub ſolito & cõmuni habitu clericali in vnum habitantes, & in cõmuni ac de cõmuni viuentes, necnon Deo

humiliter & deuotè, quantum ipſe dederit, ſeruientes, ſub noſtra & Apoſtolicæ ſedis humili & immediata ſubiectione, & ſpeciali protectione, clericalem vitam ducere, ac prædicationi verbi Dei, audientiæ confeſſionum, & adminiſtrationi Sacramentorũ, ſacræq; Theologiæ, & ſacrorum canonum ſtudijs, ad veſtrarum & aliorum Chriſti fidelium animarum profectum, vacare, decreueritis, nobis humiliter ſupplicari feciſtis, vt vobis in præmiſſis benignè annuere, ac oportunè prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui omnium Chriſti fideliũ pijs & honeſtis deſiderijs libenter annuimus, veſtrũ in hac parte laudabile deſiderium plurimum in Domino commendantes, veſtriſque huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & cuilibet veſtrum, vt quãdocumque vobis viſum fuerit, poſſitis tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, vt petitis, paupertatis, caſtitatis & obediẽtiæ vota, publicè emittere, in manibus cuiuſcunque preſbyteri ſecularis, vel cuiuſuis ordinis regularis ſolemniter profiteri.

Ac ſub ſolito & communi habitu clericali, ſubque nomine & nuncupatione *Clericorum regularium*, in communi ac de communi viuentes, in locis religioſis aut ſecularibus, prout vobis ab illis, quorũ loca ipſa

ca ipſa fuerint, conceſſum fuerit, ſeu expedire videbitur, ſub noſtra & huius S. Sedis Apoſtolicæ immediata ſubiectione, & ſpeciali protectione, ad quinquennium dumtaxat, in vnum habitare.

Atque ex vobis, & inter vos ſingulis annis Superiorem, Præpoſitum nuncupandum, qui vſque ad *triennium*, & non vltra, confirmari poſſit, eligere.

Ac alios quoſcunque ſeculares clericos, quauis dignitate fulgentes, Epiſcopo tamē inferiores, ac etiam laicos, qui Deo aſpirante ad huiuſmodi vitæ frugem, & communem viuendi modum ſeſe conferre voluerint, recipere, & poſt annuam probationem, ad talem trium votorum profeſſionem, in manibus ipſius Superioris emittendam, & ad huiuſmodi communem viuendi modum admittere.

Ac horas canonicas diurnas, pariter & nocturnas, nec non Miſſas, & alia diuina officia, ſimul & diuiſim, ſecundum vſum & morem Romanæ Eccleſiæ, etiam iuxta Breuiarium nouiter compilatum, ita tamen, quod cùm publicè ea recitaueritis, vos inuicem conformetis, in eccleſia dicere & recitare.

Nec non quibuſcunque fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ad veſtrã eccleſiam pro tempore accedentibus, quocunq;

anni tempore, præterquã in feſto Paſchatis, Reſurrectionis Dominicę, Euchariſtię, & alia eccleſiaſtica Sacraméta miniſtrare, liberè & licitè valeatis, & ad alium vſum ſuper huiuſmodi Horis, Miſſis, & officijs dicendis obſeruãdum minimè teneamini, nec ad id à quoquã inuiti cõpelli valeatis.

Necnon vt dictus Superior veſter pro tempore exiſtens, Clerici & ſocij veſtri, qui infirmitate grauati, aut circa infirmorum, in domibus veſtris morãtium, curationem adeò impediti fuerint, vt congruum eis tẽpus, ad diuinorum officiorum recitationẽ, non ſuperſit; vt infirmitate, aut circa infirmos occupatione huiuſmodi durante, certum pſalmorum, per ipſum Superiorem eis aſſignandorũ, numerum, non minus ſeptẽ, aut ſex, cum diuiſione, & Orationem Dominicam ſepties, ac ſymbolum Apoſtolorũ bis, grauiter autem ægrotantibus Orationẽ Dominicam ſemel, & Salutationem Angelicam ſepties, in die recitando, ſeptẽ Horis canonicis, & toto diuino officio ſatisfeciſſe cenſeantur, & eum quibuſuis Clericis, & ſocijs veſtris, ſuper præuentione, vel poſtpoſitione temporis recitationis Horarum canonicarum, aliqua ſubſiſtente cauſſa legitima, diſpenſare.

Quodque tempore ieiunij, etiã de præcepto, & iam tempore Quadrageſimæ, cũ

his

his qui indiguerint, quorum cõſcientiæ acquieſcant, vt collationem etiam cum pane facere poſſint, & valeant, auctoritate noſtra diſpenſare.

Ac quod vos inter vos mutuas, ſeu etiã alij ſacerdotes, ſeculares vel regulares, à vobis, de Superiorum veſtrorum licentia, ad hoc pro tempore eligendi, veſtras, ac vos dum illi confeſſores veſtri fuerint, eorum confeſſiones audientes in abſolutionibus, congrua tamen ſatisfactione præmiſſa faciendis, ſic inter vos faciendis, hac forma vti poſſitis, & illi poſſint, videlicet poſt *Miſereatur* &c. & *Indulgentiam* &c. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli mihi commiſſa, abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis, maioris vel minoris, ſuſpenſionis & interdicti, præterquam Apoſtolica auctoritate latæ vel lati, necnon ab omni irregularitate, præterquam occaſione homicidij, aut ex cauſſa à beneficijs eccleſiaſticis quocumque modo dependente, & reſtituo te Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, vnioniq; & participationi fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Iterum auctoritate Apoſtolica &c.*

Vobiſq; inſuper, qui ſpeciali deuotionis affectu, ducti, erga doctorem gentiũ PAVLVM, eccleſiam, ſub eius nomine, etiã Apoſtolica auctoritate inſignitã habere cupi-

tis, vt primum templum, quod conſtrui feceritis, quod tamen ſine alicuius præiudicio vos facere volumus, ſub ipſius *Pauli* nomine ac inuocatione habere liceat, & denominare, ac de alijs denominari & appellari mandamus.

Nec non vt omnibus & ſingulis priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgẽtijs, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, indultis, fauoribus, conceſſionibus & gratijs, ſpiritualibus & tẽporalibus, quibus potiũtur & gaudent, ac in futurum potientur & gaudebunt Canonici regulares Congregationis Lateranenſis, ac perſonæ, & loca eorum, quorum tenores præſentibus pro ſufficiẽter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, ita vt litteræ Apoſtolicæ ſuper eiſdem priuilegijs exemptionibus, immunitatibus, conceſſionibus, & gratijs eiſdem conceſſis, vel pro tempore concedendis, mutatis dũtaxat nominibus, cognominibus, inuocationibus, & diebus ad libitum veſtrũ expediri poſſint, perinde ac ſi omnia illa & ſingula, nõ ſolùm per clauſulas generales, ſed per eorum tenorem de verbo ad verbum, expreſſionem & inſertionem fuiſſent, vos, perſonæ, & loca veſtra, vti, potiri, & gaudere poſſitis, vobis per has noſtras illas, tenore præſentium, ex certa ſcientia, ac de Apo-

ſtolicæ poteſtatis plenitudine, cõcedimus pariter & indulgemus.

Non obſtantibus præmiſſis & Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Cõcilijs editis; generalibus vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis; etiã ſi qua ſpecialiter, ſeu de verbo ad verbum exprimenda eſſent, quæ pro expreſſis haberi, & quibus quo ad effectum præſentium dumtaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, VIII. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo. 1535.

## CAPVT V.

### *MONASTERIA SEV COLLEGIA Barnabitarum, ſiue Clericorum regularium S. Pauli.*

| | |
|---|---|
| NOuarienſe. | *Nouara.* |
| Mediolanenſe. | *Milano.* |
| Papienſe ſeu Ticinenſe. | *Pauia.* |
| Monzenſe. | *Monzana.* |
| Cremonenſe. | *Cremona.* |
| Montuenſe. | *Montu.* |
| Caſalenſe. | *Caſale di Monferato.* |
| Landenſe. | *Lodi.* |

Caſalenſe maius. *Caſal maggiore.*
Taurinenſe. *Turino.*
Arbienſe. *Arbi.*
Aneſſiacenſe in Sabaudia cum collegio litterario. *Aneßij.*
Tononienſis domus probationis, *Tononen Sauoye.*
Tortonenſe. *Tortona.*
Aquenſe. *Aiqui.*
Vigleuanenſe. *Vigeuani.*
Genuenſe. *Genoua.*
Bononienſe. *Bologna.*
Piſanum. *Piſa.*
S.Seuerini. *San Seuerino.*
Fulignienſe. *Foligno.*
Peruſinum. *Perugia.*
Spoletinum. *Spoleti.*
Aquilenſe. *Aquila.*
Zagarolenſe. *Zagarolo.*
Neapolitanum. *Napoli.*
Romanum S.Caroli, *S.Carlo de Catinari.*
Romanũ S.Pauli. *S.Paolo di piazza Colonna.*
Mont-Argiſenſe in regno Franciæ, *Mont-Argis.*

Notet Lector, Congregationem iſtam Clericorum regularium, temporibus Clementis VII. Papæ, cum primum fuit exorta, poſſediſſe eccleſiam S. Barnabæ in ſuburbano Mediolanenſi, & inde dictos fuiſſe BARNABITAS.

CA-

## CAPVT VI.

*SOCIETAS IESV, A S. IGNATIO LOIOLA instituta, per Paulum III. confirmatur, an.* 1540.

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimini militantis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino, præſidentes, & animarum ſalutem, prout ex debito paſtoralis officij tenemur, ſollicitis ſtudijs exquirentes, fideles quoslibet, qui vota ſua in id exponunt, Apoſtolici fauoris gratia confouemus, aliaſque deſuper diſponimus, prout temporum & locorum qualitate penſata, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Nuper ſiquidem accepimus, quod dilecti filij *Ignatius de Loyola*, & *Petrus Faber*, ac *Iacobus Laynez*, nec non *Claudius Iayus*, & *Paſchaſius Broet*, ac *Franciſcus Xauierre*, nec non *Alphonſus Salmeron*, & *Simon Rodericus*, ac *Ioannes Coduri*, & *Nicolaus de Bobadilla*, preſbyteri Pampilonenſis, Gebennenſis, Seguntinenſis, Toletanenſis, Viſenſis Ebredunenſis & Palentinæ, ciuitatum & Diœceſum, reſpectiuè, in Artibus Magiſtri in Vniuerſitate Pariſienſi graduati, & in Theologicis ſtudijs per plures annos ex-

ercitati, Spiritu Sancto (vt piè creditur) afflati, iam dudum è diuerſis mundi regionibus deſcendentes, in vnum conuenerunt, & ſocij effecti, abdicatis huius ſæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque noſtro, & aliorum ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pō-tificum ſeruitio dedicarunt, & iam quàm pluribus annis laudabiliter in vinea Domini ſe exercuerunt, Verbum Dei, præuia ſufficienti licentia, publicè prædicando, fideles priuatim ad benè beateque viuendū exhortando, & ad pias meditationes excitando, hoſpitalibus inſeruiendo, pueros & perſonas rudes ea, quæ ad Chriſtianam hominis inſtitutionem ſunt neceſſaria, docē-do, & demum omnia caritatis officia, & quæ ad animarum conſolationem faciunt, vbique terrarum, vbi peregrinati ſunt, multa cum laude obeundo.

Cumque ad hanc almam Vrbem ſe contulerint, & in caritatis vinculo perſiſtentes, ad perficiendam & conſeruandam eorum Societatis in Chriſto vnionem, quandam viuendi formulam, iuxta ea, quę ad propoſitum ſibi finem conducere vſu didicerunt, Euangelicis conſilijs, & Canonicis Patrum ſanctionibus conformem ediderint, factum eſt, vt ipſorum ſociorum vitæ inſtitutum, ſub dicta formula comprehenſum,

non

non ſolùm à multis probis viris, & Deum zelantibus laudetur, verùm etiam à quibuſdam ita approbetur, vt illud etiam ſequi velint.

Formulæ autem prædictæ Tenor ſequitur, & eſt talis.

Quicunque in Societate noſtra, quam IESV nomine inſigniri cupimus, vult ſub Crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino, atque Romano Pontifici, eius in terris Vicario ſeruire, poſt ſolemne perpetuæ caſtitatis votum, proponat ſibi in animo ſe partem eſſe Societatis, ad hoc potiſſimum inſtitutæ, vt ad profectum animarum in vita & doctrina Chriſtiana, & ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & verbi Dei miniſterium, ſpiritualia exercitia, & caritatis opera, & nominatim per puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, ac Chriſti fidelium in confeſſionibus audiendis ſpiritualem conſolationem præcipuè intendat, curetque primò Deum, deinde huius ſui inſtituti rationem, quæ via quædam eſt ad illum ſemper ante oculos habere, & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis viribus aſſequi. Vnuſquiſque tamen, ſecūdum gratiam ſibi à Spiritu Sancto ſubminiſtratam, & vocationis ſuæ proprium gradum, ne quis fortè zelo, vtatur, ſed non ſecundùm ſcientiam, cuius

cuius proprij cuiuſque gradus iudicium & officiorum diſcretio, ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti ſeu Prælati per nos eligendi, vt congruus ordo ſeruetur in omni bene inſtituta Communitate neceſſarius.

Qui quidem Præpoſitus de conſilio conſociorum Conſtitutiones, ad conſtructionem huius Præpoſiti nobis finis conducentes, in concilio condendi auctoritatem habeat, maiori ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi ius habente. Concilium vero intelligatur eſſe in rebus quidem grauioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quæ à Præpoſito commodè conuocari poterit; in leuioribus autem & temporaneis, omnes illi, quos in loco, vbi Præpoſitus noſter reſidebit, præſentes eſſe contigerit. Iubendi autem ius totum penes Præpoſitum erit.

Sciant omnes ſocij, & non ſolum in primis profeſſionis ſuæ foribus, ſed quoad vixerint quotidie animo voluant, Societatem hanc vniuerſam, & ſingulos ſub ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum, ſucceſſorum eius, fideli obedientia Deo militare. Et quamuis Euangelio doceatur, & fide orthodoxa cognoſcamus, ac firmiter profiteamur, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tamquam capiti, ac Ieſu Chriſti

Vica-

Vicario ſubeſſe, ad maiorem tamen noſtræ Societatis humilitatem, ac perfectam vniuſcuiuſque mortificationem, & voluntatum noſtrarum abnegationem, ſummopere conducere iudicauimus, ſingulos nos, vltra illud commune vinculum, ſpeciali voto aſtringi. Ita vt quicquid modernus, & alij Romani Pontifices pro tempore exiſtentes iuſſerint, ad profectum animarum & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcunque prouincias nos mittere voluerit, ſine vlla tergiuerſatione aut excuſatione, illicò quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, ſiue miſerit nos ad Turcas, ſiue ad quoſcunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exiſtentes, ſiue ad quoſcunque hæreticos, ſeu ſchiſmaticos, ſeu etiam ad quoſuis fideles.

Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, & antequam huic oneri humeros ſupponant, diu multumq́ue meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, vt turrim hanc, iuxta conſilium Dominicũ, poſſint conſummare, hoc eſt an Spiritus S. qui illos impellit, tantum illis gratia pollíceatur, vt huius vocationis pondus, illo adiuuante, ſe laturos ſperent: & poſtquam Domino inſpirante, huic Ieſu Chriſti militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti

ſolutio-

ſolutionem prompti eſſe debebant.

Ne qua autem poſſit eſſe inter nos miſſionum ac prouinciarum huiuſcemodi aut ambitio, vel detractio, profiteantur ſinguli, ſe nunquam directè aut indirectè de huiuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice curaturos, ſed omnem hanc curam Deo, & ipſi Pontifici, tamquam eius Vicario, & Societatis Præpoſito dimiſſuros. Qui Præpoſitus, ſicut cæteri etiam profiteatur, ſe nihil de ſuimet ipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio, cum dicto Pontifice eſſe curaturum.

Voueant ſinguli, ſe in omnibus quæ ad Regulæ huius noſtræ obſeruationem faciunt, obedientes fore Societatis Præpoſito.

Ille autem iubeat ea, quæ ad conſtructionem propoſiti ſibi à Deo & à Societate finis cognouerit eſſe oportuna. In prælatione autem ſua benignitatis ac manſuetudinis, caritatiſque Chriſti, Petri Pauliq́ue formulæ ſemper ſit memor, & tàm ipſe, quàm Concilium ad normam hanc aſſiduè ſpectent. Et nominatim commendatam habeant inſtitutionem puerorum ac rudiū in Chriſtiana doctrina decem præceptorum, atque aliorum ſimilium rudimentorum, quæcunque ſecundum circumſtantias perſonarum, locorum ac temporum illis

illis congrua videbuntur. Etenim maximè neceſſarium, circa prouidentiam huius rei diligenter Præpoſitum & Concilium inuigilare, cum & in proximis ædificium fidei ſine fundamento non poſſit conſurgere, & in noſtris periculum ſit, ne vt quiſque erit doctior, ita prouinciam hanc, tamquam primo aſpectu minus ſpecioſam forſitan detrectare conetur, cum tamen re vera nulla ſit fructuoſior, vel proximis ad ædificationem, vel noſtris ad caritatis & humilitatis ſimul officia exercenda. Subditi verò, tum propter ingentes Ordinis vtilitates, tum propter numquam ſalutis laudatum humilitatis aſſiduum exercitium, Præpoſito, in omnibus ad inſtitutum Societatis pertinentibus, parere ſemper teneantur, & in illo Chriſtum veluti præſentem agnoſcant, & quantum decet venerentur.

Cùm autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem aptiorem eſſe vitam ab omni auaritiæ contagione quàm remotiſſimam, & Euangelicæ paupertati quàm ſimillimam; cumq; ſciamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſeruis ſuis regnum Dei ſolum inquirentibus neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum; voueât ſinguli & vniuerſi perpetuam paupertatem de-

tem, declarantes quod non ſolum priuatim, ſed neque etiam communiter poſſint pro Societatis ſuſtentatione, aut vſu ad bona aliqua ſtabilia, aut ad prouentus ſeu introitus aliquos, ius aliquod ciuile acquirere, ſed ſint contenti vſum tantum rerum ſibi donatarum, ad neceſſaria ſibi comparanda, recipere.

Poſſint tamen habere in Vniuerſitatibus Collegium ſeu Collegia habentia redditus, cenſus ſeu poſſeſſiones, vſibus & neceſſarijs Studentium applicandas, retenta penes Præpoſitum & Societatem omnimoda gubernatione, ſeu ſuperintendentia ſuper dicta Collegia & prædictos ſtudentes, quo ad Gubernatoris ſeu Gubernatorum, ac ſtudentium electionem, ac eorumdem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, circa ſtudentium inſtructionem, ædificationem ac correctionem, victus, veſtituſque eis miniſtrandi modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam.

Sic tamen vt neque ſtudentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios vſus conuertere poſſit, ſed ſtudentium neceſſitati ſubuenire. Qui quidem, poſt cognitum in ſpiritu & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem in Socie-

tatem

tatem noſtram admitti poſſint.

Socij omnes, quicunque in ſacris fuerint, quamuis beneficia eccleſiaſtica, aut eorum redditus non habeant; teneantur tamen ſinguli, priuatim ac particulariter, & non communiter ad dicendum officiũ, ſecundum Eccleſiæ ritum.

Nos igitur, qui pijs honeſtiſque petentium votis gradum ſolemus præſtare aſſenſum, dictorum ſacerdotum, clericorū, & laicorum, piam vitam, optimumque viuēdi modum, & inſtituti propoſitum plurimum in Domino collaudantes, ipſoſque & eorum ſingulos, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſentētijs, cēſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium

dum-

dumtaxat conſequendum abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, necnon prædictarum litterarum, & inde ſecutorũ quorũcunque tenore præſentibus pro expreſſis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictis Sacerdotibus, Clericis & Laicis, vota prædicta emittere volentibus, illa in manibus alicuius Prælati eccleſiaſtici, per Congregationem huiuſmodi ad id eligendi, donec ſex ex ipſis fuerint profeſſi, & ſibi *Præpoſitum* ipſius Congregationis *Generalem*, ſecundum illorum conſtitutiones factas ſeu faciendas, eligendum & confirmandum elegerint; & deinde dictis ſex profeſſis, & electo Præpoſito, omnibus & ſingulis alijs Chriſtifidelibus, etiã in Orphanotrophijs educatis & eruditis, dictam religionem ingredi volentibus, in ipſius Præpoſiti, ſeu illius Vicarij manibus emittendi & profitendi, ac ſub regula *S. Auguſtini*, in habitu tamen clericali & honeſto, ac locis in quibus vixerint conformi, incedendi, viuendi, necnon Prælato, & Præpoſito, Vicarióque prædictis vota huiuſmodi in manibus illorum recipiendi, liberam facultatem concedimus. ac quod infra triennium proximè futurum hi, qui per decennium in dicta Congregatione laudabiliter vixerint, vota prædicta emittere volentes, non

expecta-

expectato anno probationis, triennio verò elapſo huiuſmodi, alij ipſa vota emittere volentes, non niſi elapſo anno probationis, & completo anno decimo ſexto ſuæ ætatis, in eccleſia prædicta, aut alibi, vbi cómodiùs Præpoſito ſeu Vicario viſum fuerit, vota prædicta, (ita vt non ſit locus tacitæ profeſſioni) emittere, & profiteri. Quodq́ue præfati & pro tempore exiſtentes Præpoſitus, Sacerdotes, Clerici & Laici ſub dicta regula, ſecundum conſtitutiones per eos factas ſeu faciendas, viuere.

Omniaque & ſingula, quæcunque quocumque & qualiacunque, bona mobilia, ſeu immobilia dictæ Congregationis, ſeu illius locis vel eccleſijs, ab Vniuerſitatibus, Communitatibus, & alijs etiam priuatis perſonis, cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, qualitatis, & præeminentiæ exiſtant, teſtamento vel codicillis, aut alia vltima voluntate, ſeu donatione, etiam inter viuos, aut aliàs quomodolibet, necnon oblationes, ſibi relicta & relinquenda recipere, exigere, & in communi tantum poſſidere, liberè & licitè poſſint & valeant.

Quodq́ue de cætero Congregatio prædicta CLERICORVM REGVLARIVM S. MAIOLI, ſiue de SOMASCHA appelletur, ſimiliter perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

Ac

Ac inſuper quomodocunq; relicta Cõgregationi prædictæ, & non aliter, expreſſo & declarato loco, ex nunc prout & tũc, & è contra Eccleſiæ *S. Maioli*, ita quod liceat pro tempore exiſtenti Præpoſito, per ſe vel alium ſeu alios, dictorum relictorum fructus & emolumenta, in ſibi bene viſos & neceſſarios vſus, & vtilitatem eccleſiæ S. Maioli, & Congregationis prædictæ, liberè & licitè conuertere, Diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate & tenore præmiſſis, etiam perpetuò applicamus & appropriamus.

Decernentes præſentes litteras, de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, aliove vitio ſeu intentionis noſtræ defectu notari, argui, & impugnari, ac reuocari, limitari, moderari, ſuſpendi, aut illis derogari; & ſub quibuſuis ſimilium gratiarum reuocatione, derogatione, limitatione, moderatione, ſuſpenſione, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, comprehendi non poſſe; & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, reſtituta ac de nouo conceſſa, & perpetuò valida & efficacia eſſe, ac fore; ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri.

Ac ita per quoſcunque Iudices & Com-

 miſſarios,

miſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis ac eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari ac diffiniri debere, ac ex nunc irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoque, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus fratribus Amerinenſi & Papienſi ac Cremonenſi Epiſcopis, per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel per alium, ſeu alios, Congregationi & futuro Præpoſito huiuſmodi, ac illius ſingulis perſonis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, Congregationem, illiusque Præpoſitum, & ſingulas perſonas, conceſſione, indulto, ſtatuto, ordinatione, applicatione, appropriatione, & decreto huiuſmodi, pacificè frui & gaudere.

Non permittentes eos, deſuper per quoſcunque contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, aliaq; iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis, ſeruatis proceſſibus, illos cenſuras & pœnas ipſas incurriſſe de-

claranda,

clarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

Non obſtantibus præmiſſis, ac recol. mem. *Bonifacij* Papæ *Octaui*, prædeceſſoris noſtri, de vna, & Concilij generalis de duabus dictis, dummodo quis vigore præſentium vltra tres dictas ad iudicium non euocetur, & alijs quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ipſius Congregationis, ac quorumuis monaſteriorum & Ordinum, etiam iuramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, eorumq; Superioribus & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus efficaciſſimis reiteratis, & inſolitis clauſulis, irritantibus & alijs decretis, in genere vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus, conceſſis, confirmatis, & innouatis.

Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi alias pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes,

tantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, vel aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus, communiter, vel diuiſim ab eadē ſit ſede indultū, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nō poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionē.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die ſexto Decembris, 1568. milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, Pontificatus noſtri anno tertio.

## CAPVT X.

**CONGREGATIO PRESBYTERO-** *rum & Clericorum Oratorij, à S. Philippo Nerio fundata, per Gregorium XIII. approbatum & au. 1575. approbatur & ſtabilitur.*

GREGORIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Copioſus in miſericordia Dominus, & in cunctis glorioſus operibus, à quo omnia dona defluunt, ad hoc nobis, licet immeritis, ſuæ ſponſæ vniuerſalis Eccle-

ſiæ regimen committere, & noſtræ debilitati iugum Apoſtolicæ ſeruitutis imponere voluit, vt inter alias, multiplices curas, operarios, quos ipſe Dominus in meſſem ſuam, multitudinem vtique magnam populorum, ad fructum diuinæ gratiæ diſpoſitam, ne pereat, quotidie pro ſua miſericordia dignatur emittere, conducere non differamus, eoſque ad ſuſcipiendam ipſius Domini miſericordiam, in medio templi ſui, eiuſque vias Chriſti fidelibus demonſtrandum, eorumque corda d uinorum ſermonum declaratione illuminandum, nouas etiam interdum piorum virorum Congregationes propterea conſtituendo, noſtræ ſollicitudinis opera Apoſtoliciſque fauoribus propenſiùs excitemus.

Dudum ſiquidē omnia beneficia eccleſiaſtica, cum cura & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & inantea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſeruauimus, decernentes ex tunc irritū & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Cum itaque poſtmodum parochialis eccleſiæ B. Mariæ *Vallicellæ* nuncupatæ, regionis Pontis ſeu Parionis de Vrbe, per liberam reſignationem dilecti filij Antonini

de Adiuto, nuper ipſius eccleſiæ Rectoris, de illa, quã tũc obtinebat; in manibus noſtris ſponte factam & per nos admiſſam, apud Sedem eandem vacauerit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit ſiue poſſit, reſeruatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis. Et ſicut dilectus filius PHILIPPVS NERIVS, presbyter Florentinus, ac Præpoſitus nonnullorum presbyterorum, & Clericorum ſecularium, tam ſuo, quàm aliorum presbyterorum & Clericorum præfatorum nominibus, nobis nuper expoſuit, quod hi in ipſa eccleſia introduci cupiant, ac ita, illis gratia aſſiſtente diuina, circa Miſſarum & aliorum diuinorum officiorum in eadem eccleſia celebrationem, & verbi Dei populo inibi intereſſenti prædicationem, aliaque ſalubria monita, ad ſalutem animarum Chriſtifidelium procurandam, & quàm plurima pietatis opera exercenda intendere ſperent, vt ex eorundem presbyterorum & clericorum laudabili vita & doctrina, dilecti filij ipſius eccleſiæ parochiani non paruam conſolationem Spiritualem ſuſcepturi ſint, ſi in eadem eccleſia vna Congregatio presbyterorum & Clericorum de ORATORIO nuncupanda, perpetuo erigeretur & inſtitueretur, ipſaque eccle-
ſia,

ſia, cum onere curæ animarum illius Parochianorum præfatorum, eidem Congregationi concederetur, ex hoc profecto diuinus cultus ac miniſtrorum eccleſiaſticorum numerus, in ea, ad Dei laudem & eorumdem Chriſtifidelium animarum ſalutem, maximum ſuſciperet incrementum.

Quare dictus PHILIPPVS aſſerens dictæ eccleſiæ, & illi forſan annexorum fructus, redditus & prouentus, ſuper quibus penſio annua quadraginta ſcutorum monetæ, certæ perſonæ eccleſiaſticæ, illam annuatim percipienti, Apoſtolica auctoritate, vt dictus Philippus etiam aſſerit, reſeruata exiſtit, centum & triginta ducatorum auri de Camera, ſecundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, eiſdem nominibus nobis humiliter ſupplicauit, quatenus præmiſſis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod ſemper in vnionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique diuini cultus augmentum & Chriſtifidelium animarum ſalutem ſinceris deſideramus affectibus, pium & laudabile PHILIPPI Præpoſiti,

ac presbyterorum & Clericorum præfato-rum deſiderium ſummopere commendã-tes, ipſoſque Philippum Præpoſitum, ac presbyteros & Clericos, à quibuſuis ex-cõmunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occa-ſione vel cauſſa latis, ſiquibus quomodo-libet innodati exiſtunt, ad effectum præ-ſentium dumtaxat conſequendum, ha-rum ſerie abſoluentes & abſolutos fore cẽ-ſentes, huiuſmodi ſupplicationibus incli-nati, in dicta eccleſia, vnam Congregatio-nem presbyterorum & Clericorum ſecu-larium de ORATORIO nuncupandum, ſi-ne alicuius præiudicio, auctoritate Apo-ſtolica, tenore præſentium, perpetuò eri-gimus & inſtituimus.

Illique ſic erectæ & inſtitutæ eccleſiam præfatam, ſiue præmiſſo, ſiue alio quouis modo, aut ex alterius cuiuſcunque per-ſona ſeu per ſimilem reſignationem di-cti Antonini, vel cuiuſuis alterius de il-la in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſti-bus ſponte factam, aut conſtitutio-nem felicis recordationis Ioannis Pa-pæ XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ in-cipit, *Execrabilis*, vel aſſecutionem al-terius beneficij eccleſiaſtici, quauis

aucto-

auctoritate collati, vacet, etiam ſi tanto tempore vacauerit, quod eius collatio iuxta Lateranenſis ſtatuta Concilij ad Sedem præfatam legitimè deuoluta, ipſaque eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſeruata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cuius ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo eius diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, cum onere curæ animarum illius Parochianorum præfatorum, alijſque omnibus & ſingulis oneribus & honoribus, ac annexis, necnon omnibus bonis, cenſibus, iuriſdictionibus, fructibus, redditibus, & prouentibus, alijſque iuribus, & pertinentijs ſuis eidem Congregationi, auctoritate Apoſtolica, & tenore præfatis, etiam perpetuo concedimus & aſſignamus.

Ita quod liceat ipſi Congregationi, illiuſque Rectori, Preſbyteris, Clericis, & Procuratoribus ſeu agentibus vel deputatis, per ſe vel alium ſeu alios, eorum & dictæ Congregationis nomine, eccleſiæ & annexorum ac bonorum iuriumque & pertinentiarum præfatorum, corporalem & realem & actualem poſſeſſionem, propria auctoritate, liberè apprehendere, & etiam perpetuò retinere, curamque animarum eidem eccleſiæ imminentem per

ſeipſos preſbyteros, ſeu vel plures ex eis ſiue per alium vel alios preſbyteros (illis tamen prius à dilecto filio noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis in dicta vrbe & eius diſtrictu, Vicario in ſpiritualibus generali, ſeu Sede præfata approbatis,) exercere vel exerceri, eidemque eccleſiæ in diuinis deſeruire ſeu deſeruiri facere, illiuſque fructus, redditus, & prouentus, iura, obuentiones & emolumenta quæcunque percipere, exigere & leuare, ac in ſuos, & Congregationis, ac eccleſiæ præfatorum vſum & vtilitatem conuertere.

Necnon eidem Congregationi, illiuſque Rectori ac Preſbyteris & Clericis pro tempore exiſtentibus, vt pro ſalubri ſtatu & directione eccleſiæ & Congregationis huiuſmodi illiuſque perſonarum quæcunque ſtatuta & ordinationes rationabilia, honeſta, ac ſacris Canonibus & Concilio Tridentino, non contraria edere, & edita reformare, limitare & mutare, ac alia de nouo condere, prout, & quoties eis, ſecundum rerum & temporum qualitates, videbitur expedire; quæ quidem ſtatuta & ordinationes, poſtquam edita, reformata, limitata, & mutata, ac de nouo condita fuerint,

erint, à Sede præfata approbari, & per ſingulares perſonas, de gremio dictæ Congregationis exiſtentes, inuiolabiliter obſeruari debeant, liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolicâ, & tenore præfatis indulgemus, liberamque deſuper facultatem concedimus & elargimur.

Decernentes præſentes litteras de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, & ex eo quod intereſſe prætendentes vocati non fuerint, notari, impugnari, aut in ius vel controuerſiam vocari nullatenus poſſe, neque debere, minuſque ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus, & alijs contrarijs diſpoſitionibus à Sede præfata, etiam in fauorem quorumuis quomodolibet emanatis & emanandis, nullatenus comprehendi poſſe, aut debere, necnon quo ad conceſſionem & aſſignationem, prout eſt & attentatum forſan eſt hactenus, ac tam quo ad illas, quam omnia alia ſupradicta ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchæ Alexandrino, ac Amerino

rino & Aquinatenſi Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras & in eis contenta quæcunque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte PHILIPPI Propoſiti ac Congregationis præfatorum, & ſingularum illius perſonarum, nunc & pro tempore exiſtentium, ſed alicuius eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta, quæcunque firmiter obſeruari, ac ſingulos, quos ipſæ litteræ concernunt, illis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque, contra præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Non obſtantibus, priori voluntate noſtra præfata, ac Lateranenſis Concilij nouiſſimè celebrati vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, & alijs Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis Venerabili fratri noſtro *Alexandro*

Epi-

Epiſcopo Tuſculanenſi Cardinali *Farneſio* nuncupato, ad quem ratione eccleſiæ S. Laurentij in Damaſo etiam de Vrbe, aut aliàs dictæ eccleſiæ S. Mariæ Vallicellæ, dum vacat, collatio, prouiſio, præſentatio & omnimoda alia diſpoſitio pertinet, ac dilectis filijs Populo Romano, ſub quibuſcunque tenoribus & formis; ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & alijs decretis, etiam motu proprio, & certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac fratrũ noſtrorum conſilio, etiam iteratis vicibus, etiam per recol. mem. *Leonem* Papam X. alioſque Romanos Pontifices, ſimiliter prędeceſſores noſtros, ac forſan etiam nos, & Sedem præfatam conceſſis, approbatis & innouatis; illis præſertim, quibus inter alia caueri dicitur expreſſè, quod de quibuſcumque beneficijs eccleſiaſticis dictæ Vrbis, vacatione illorum pro tempore occurrente, alijs quam ciuibus Romanis & originariorum ciuium Romanorum filijs, & forſan aliàs certo modo qualificatis prouideri, vel aliàs diſponi non poſſit, & aliter de illis etiam per Sedem præfatam pro tẽpore factæ collationes, conceſſiones, vniones, & aliæ diſpoſitiones nullius ſint roboris vel momenti; quodque eiſdem priuile-

gijs

gijs & indultis nullatenus, aut non niſi modo & forma in illis expreſſis derogari aut derogatum cenſeri poſſit, & ſi illis aliter derogari contingat, derogationes huiuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu alia quæuis expreſſio habenda, aut etiam aliqua exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, quodque de gremio dictæ Congregationis diuerſæ perſonæ ex dicta vrbe oriundæ, vel aliàs iuxta dicta ſtatuta qualificata non exiſtant, contrarijs quibuſcunque. Aut aliqui ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de huiuſmodi vel alijs beneficijs eccleſiaſticis in ipſa vrbe ſpeciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum eius litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſeruationem & decretum vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſequuta quæcunque, ad dictam eccleſiam Beatæ Mariæ volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis,
quo

quo ad aſſecutionem beneficiorum aliorum præiudicium generari. Et quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, prouiſo, quod ipſa eccleſia Sanctæ Mariæ debitis propterea non fraudetur obſequijs, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed illius congruè ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo omnino, &c. Siquis autem, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Idibus Iulij, Pontificatus noſtri anno quarto.

---

## NOTATIO.

S. PHILIPPVS NERIVS, *Florentiæ ann.* 1515. *feliciter notando, anno* 1595. *Romæ in Domino ſanctiſſimè obdormiuit. Vitam eius latinè ſcripſit Antonius Gallonius, Oratorij Romani Presbyter, Romæ & Moguntiæ ann.* 1602. *editam.*

CAPVT

## CAPVT XI.

*GREGORIVS XV. Ann. 1622 CONFIRMAT decretum, quod vnaquaque domus Congregationis Oratorij ſe ipſam per ſe regat, nec plures inſimul vniri valeant; & ſtatuit vt in quolibet loco non niſi vna domus erigi poſſit, nec locorum Ordinarij vllam dictæ Congregationis domum, niſi iuxta ſtatutorum eiuſdem formam, viſitare poſſint.*

GREGORIVS Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officio, his, quæ pro Congregationum quarumlibet, ad diuini nominis laudem & gloriam, ac populorum ædificationem animarumque ſalutem prouidè ſancteque inſtitutarum; ac perſonarum in eis pijs exercitijs; atque Altiſſimi obſequijs vacantium felici regimine, ſtatuta & ordinata ſunt, vt firma perpetuò remaneant, Apoſtolicæ confirmationis robur libenter adijcimus, aliaſq; diſponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, inter ſtatuta dilectorum filiorũ Preſbyterorum Congregationis Oratorij, in Eccleſia B. Mariæ in Vallicella nuncupatæ de Vrbe, à S. Philippo Nerio inſtitutæ, per felicis recordationis Paulum Papam V. prædeceſſorem noſtrum approbata &

confir-

confirmata, infra ſcriptum reperiatur, tenoris ſubſequentis, videlicet: *Statutum eſt, ne Congregatio alibi vllum locum recipiat, neque alterius Congregationis regendæ ſuſcipiat onus: ſi quæ verò aliorum locorum collegia & Congregationes noſtra inſtituta obtinuerint & ſeruare voluerint, non ſint illa quidem noſtræ annexa, neque Clerici eorum ſint è Congregatione Oratorij Romani, quemadmodum eſſe debet, inſtituti, vt vnaquæque domus ac familia, noſtræ formam imitata, ſeparatim ab alijs, ſe per ſe regat, ac moderetur.* Nos attendentes Statuti huiuſmodi obſeruantiam, dictæ Congregationis manutentioni admodum neceſſariam fore; idcirco motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris ſtatutum inſertum prædictum Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò approbamus & confirmamus, illique inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Inhibentes propterea; ſub excommunicationis alijſque ſententijs, cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis, arbitrio noſtro infligendis, ne plures dictæ Congregationis domus, neque tamquam principales, neque tamquam membra à ſe inuicem dependentia, inſimul vniri, & in quauis

ciuitate, terra, ſeu loco pluſquam vna domus dictæ Congregationis erigi ſeu inſtitui poſſit. Quocirca vniuerſis & ſingulis locorum Ordinarijs, ne vllam dictæ Congregationis domum, niſi iuxta ſtatutorum prædictorum formam & tenorem, nec aliter, nec alio modo viſitare, minuſve quouis caſu pro tempore contingente, ac ſub quouis prætextu aut quæſito colore, aliquam ipſius Congregationis perſonam è dicta Congregatione extrahere, aut ab obſeruatione ſui inſtituti remouere audeant ſeu præſumant, auctoritate & tenore præſentis interdicimus, & prohibemus. Decernentes præſentes litteras perpetuò validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore: ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, eiſdem locorum Ordinarijs, & quibuſuis alijs perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis eo-

rum

rum omnium tenor præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam ſub annulo Piſcatoris die 8. Iulij, M.DC.XXII. Pontificatus noſtri anno ſecundo. S. Card. S. Suſannæ.

---

## CAPVT XII.

Oratoria per Italiam & Galliam exſtructa, inſtar Romani.

Neapolitanum, operâ Franciſci Mariæ Tauruſij, anno 1586 eò ab Hannibale Capua Archiepiſcopo euocati, exſtructum. *Napoli.*

Septempedanum in Piceno. *San Seuerino.*

Anxanum Oratorium anno 1598. conditum.

Anxanum Seminarium adoleſcentum indigenarum.

Lucenſe à Republica Lucenſi exſtructum. *Lucca.*

Firmanum. *Fermo.*

Panormitanum in Sicilia. *Palermo.*

Camertinum.

Fanenſe. *Fano.*

Patauinum. *Padoua.*

Vicentinum. *Vicenza.*

Ferrarienſe. *Ferrara.*

Tononienſe in diœceſi Geneuenſi & Ducatu Chablaſij, ſub ditione Ducis Sabaudiæ. *Tonon.*

Oratorium in eccleſia B. M. Gratiarum, diœceſis Foroiulienſis in Prouincia.

Aſpricolenſe Oratorium in Brabantia & diœceſi Mechlinienſi, ab Alberto & Iſabella Clara Eugenia, Belgarũ Principibus, fundatum ac dotatum. *Noſtre Dame de Mont ayu*, Flandris. *Scherpenheuuel.*

Caruienſe in Hannonia & diœceſi Cameracenſi. *Noſtre Dame de Chieure.*

Branienſe ibidem. *Braine le Comte.*

## CAPVT XIII.

*BVLLA CANONIZATIONIS B. PHILIPpi Nerij, quem Gregorius XV. papa, vnà cum Beatis Iſidoro, Ignatio Loiola, Franciſco Xauerio & Tereſa, Sanctorum numero adſcripſit, ab Vrbano VIII. expedita.*

VRBANVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Rationi conuenit, & conuenit æquitati, vt ea, quæ de Romani Pontificis prouiden-

uidentia proceſſerunt, licet eius ſuperueniente obitu litteræ Apoſtolicæ deſuper cōfectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectū. Dudum ſiquidem fel. rec. Greg. Papa XV. prædeceſſor noſter piè præmeditatus, ꝙ ſupremus ille & diligens Paterfamilias, qui ab origine mundi plantauit vineam ſuam, vniuerſalem ſcil. Eccleſiam, in eam quotidie non deſinat mittere operarios, quorum aſſiduitate culturæ illa vepribus expurgata fructū afferat vel cēteſimum, vel ſexageſimum, vel trigeſimum, quodq; ante Incarnationem Verbi miſit in eam Patriarchas & Prophetas, viroſq; ſanctiſſimos, qui portauerunt pondus diei & æſtus: poſt aſſumptam verò humanitatis noſtræ ſubſtantiā venit vocare nouiſſimos, ſanctos videlicet Apoſtolos, qui vineā hāc & fidei feruore & prædicationis verbo per vniuerſum propagarunt Orbē, ijſq; adiunxit non ſolùm fortiſſimorum martyrum exercitus, qui effuſo ſanguine illam irrigarunt vberrimè, ſed etiam Confeſſorum laudabilem numerum, quorum ſanctitatis exemplo hæc vinea vbiq; terrarum odorem afflat ſuauiſſimū; inter quos paucis ante annis ſanctimoriam redolere ſatis conſtiterat Beatum Philippum Nerium, Congregationis Oratorij fundatorem; cuius & vitæ puritas, & omnium virtutum congeries &

miraculorum gloria plurimùm elucebat, ipſius B. Philippi catalogo Sanctorum adſcriptioni decreuit intendere.

Cumq; iam ab ipſo die, quo dictus B. Philippus obdormiuerat in Domino, fama ſanctitatis & miraculorũ eius adeò creuiſſet, vt ſtatim dignus canonizatione acclamaretur, & multi viri graues de illa ꝑmouenda cogitaſsẽt, & apud piæ memoriæ Clemẽtẽ VIII. etiã prędeceſſorẽ noſtrũ deſuper egiſſent & eiuſdẽ Clemẽtis p̃deceſſoris auctoritate viuę vocis oraculo cõceſſa, ſtatim eodẽ ipſius B. Philippi obitus anno, in Vrbe & extra eã fuiſsẽt receptæ informationes, & facti ꝑceſſus ſup illius virtutibꝰ, ſãctitate & miraculis; & ſucceſſiuè corã ſimilis recordationis Paulo V. pariter p̃deceſſore noſtro, ꝑ eadẽ canonizatione cariſſimis in Chriſto filiꝰ noſter Lodouicus Frãciæ & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimꝰ, & cariſſima etiã in Chriſto filia noſtra Maria, eiuſdẽ Ludouici Regis mater, ac dilecti filij nobiles viri Senatus Populuſque Romanus, & Maximilianꝰ vtriuſq; Bauarię, necnõ Carolus Gõzaga Niuernenſiũ, & dũ in humanis agerẽt Ferdinãdus I. & poſt eius obitũ Coſmus II. Magni Hetruriæ eis ſubiectę Duces, & dilectæ in Chriſto filiæ nobiles mulieres, Chriſtina Coſmi mater, & Catharina Caroli præfati vxor, ac etiã dilecti filij presbyteri dictę Cõgregationis inſtitiſsẽt, & Paulus p̃deceſſor p̃dictus Venerabilibꝰ Fratribus noſtris, tũc ſuis, S. Romanæ Eccleſiæ

Cardinalibꝰ, ſuꝑ Sacris Ritibus deputatis ꝑ
ſuas in forma Breuis ſub annulo Piſcatoris
deſuꝑ expeditas litteras cōmiſiſſet, vt inq̄re-
rēt in genere priꝰ, ac deinde in ſpecie ſuꝑ fa-
ma ſanctitatis, virtutibꝰ & miraculis dicti B.
Philippi formarēt iuris ordine ſeruato ꝓceſ-
ſū, eoq; diligētiſſimè pacto, & facta ꝑ bonæ
memoriæ Dominicū eiuſdē S. Romanæ Ec-
cleſię Cardinalē Pinellū nuncupatū relatio-
ne, ex ꝓceſſu videlicet in genere facto, plenè
cōſtare de fama ſanctitatis & miraculorū di-
cti B. Philippi, ac deueniri meritò poſſe ad
inquiſitionē in ſpecie dictus Paulꝰ prędeceſ-
ſor, bonæ memoriæ Franciſco Peniæ Rotæ
Decano, & Horatio Lācellotto ipſoq; Ho-
ratio ꝓmoto ad Cardinalatꝰ honorē, Alexā-
dro Ludouiſio, tūc in minoribꝰ cōſtituto, q̄
deinde ad Sūmi Apoſtolatus apicē aſſūptꝰ,
Gregoriꝰ XV. p̄dictus fuit nūcupatꝰ, ac Ve-
nerabili fratri noſtro Dionyſio de Marque-
mōt, Eccleſiæ Lugdunēſi poſtmodū p̄fecto,
omnibꝰ cauſarū Palatij Apoſtolici tūc audi-
toribus, vt cōiūctim, vel ſaltē duo eorū ꝓce- *Die 19. mē-*
dentes, inquiſitiones & ꝓbationes huiuſmo- *ſis Ianuar.*
di facerēt factaſq; referrēt, demādaſſet dicti- *1626. Car-*
q; Auditores Cōmiſſarij iniūcto ſibi officio *dinale cre-*
diligēter ꝑfuncti totiꝰ negotij ſeriē in ſcrip- *ato.*
tis eidē Paulo p̄deceſſori retuliſſēt; & dictus
Paulus p̄deceſſor relationē, vt præfertur, fa-
ctā, vna cū iteratis inſtātijs ac precibꝰ dicto-
rū Principū, & Presbyterorum dictæ Cōgre-
gationis Oratorij, ad prædictos Cardinales,

vt præfertur, deputatos remiſiſſet, ac omnibus per bonæ memoriæ Robertum dictæ Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalem Bellarminum nuncupatum, ad id ſpecialiter electum examinatis, & relatis in octo Congregationibus diuerſis tẽporibus habitis, de validitate proceſſuum in ſpecie factorum, tam in dicta Vrbe, quam extra eã, & de fide, ſpe, charitate, virginitate, de prophetia, alijſque donis & virtutibus, de fama ſanctitatis & miraculis quamplurimis tum in vita, tum poſt obitum dicti B. Philippi plenè conſtare, ſeruatis ſeruandis cõcluſum & decretum extitiſſet, idem Paulus prædeceſſor, vt in illius honorem tamquã de Confeſſore non Pontifice Miſſa celebrari & Officium recitari in eccleſia beatiſſi. Virginis Mariæ, & Sancti Gregorij in Vallicella de Vrbe licitè poſſet, indulſit: & ſucceſſiuè indultum huiuſmodi ad alias eiuſdem inſtituti Congregationes in alijs eccleſijs extra Vrbem canonicè erectas extendit.

*Beatificatio.*

Dictoq; Paulo prædeceſſore viam vniuerſæ carnis ingreſſo, prædictus Gregorius prædeceſſor, qui illi in Apoſtolatus miniſterio ſucceſſit, Beati Viri ſanctitatẽ (quippe per virtutum illius excellentiam in minoribus, vt præfertur, conſtitutus benè nouerat) veneratus, & Chriſti fidelium

*Inſtantia canonizationis apud Greg. XV.*

deuo-

deuotione, precibuſque dicto um Principum inſtantius quam vnquam repetitis permotus, negotium Canonizationis illius perficiendum conſtituit: & ad hunc effectum prædictis Cardinalibus dictæ Congregationis Sacrorum Rituum mandauit, vt prædictos proceſſus omni qua decebat diligentia rurſus inſpicerent, & vniuerſam cauſſam ſibi referrent; qui quidem Cardinales dictum Robertum Cardinalem denuo elegerunt, eoque ab humanis exempto, dilectum filium noſtrum, tnc eiuſdem Gregorij prædeceſſoris, Petrum Paulum eiuſdem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Creſcentium nuncupatum, in eius locum ſubrogarunt, & negotio exactiſſimè diſcuſſo ac diligentiſſimè examinato, ſeruatis ſimiliter ſeruandis, vnanimiter congregati cenſuerunt, pleniſſimè conſtare tam de validitate proceſſuum, quàm de vitæ ſanctitate, virtutibus & miraculis tum in vita, tum poſt mortem dicti Beati Philippi: ita vt ſi dicto Gregorio prædeceſſori videretur, poſſet dictus Beatus Philippus in Sanctorum numerum adſcribi.

Cumque nihil iam ſupereſſet vlteriùs, idem Gregorius prædeceſſor voluit in Conſiſtorio ſuo ſecreto de his omnibus relationem fieri & Venerabilis frater noſter, tunc ſuus Franciſcus Maria, Epiſcopus *Primum Conſiſtoriū*

 Oſtien-

Oſtienſis, tunc Portuenſis, & Cardinalis à Monte nuncupatus, ſuo & aliorum dictæ Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium nomine ſummam proceſſus expoſuit, & ex rebus ab ipſo Beato Philippo præclarè geſtis ſelegit nonnullas, quas diſertis planè verbis enarrauit, ac ſe cæteroſque dictæ Congregationis Sacrorum Rituum Cardinales cenſuiſſe aſſeruit, dictum Beatum Philippum, ſi ipſo Gregorio prædeceſſori viſum foret, Sanctorum catalogo aggregari poſſe: in quorum ſententiam reliqui omnes Cardinales in dicto Conſiſtorio tunc aſſiſtentes, de quorum numero nos quoque tunc eramus, ſuo quiſque ſuffragio ex ordine deuenerunt.

*Secundum conſiſtoriū.* Et ſucceſſiuè idem Gregorius prædeceſſor, ex antiquo Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum tunc ſuorum inſtituto, publico Conſiſtorio, in quo præter dictos Cardinales, etiam Venerabiles fratres noſtri Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac alij Romanæ Curiæ Prælati, & dicti Gregorij prædeceſſoris familiares, dilecti filij, conuenerunt, conuocato; dilectus filius Magiſter Ioannes Baptiſta Spada iunior, Aulæ Conſiſtorialis Aduocatus, de vita, virtutibus & miraculis dicti Beati Philippi diſertè dixit, & nomine prædictorum Principum

cipum illius Canonizationem ſuppliciter petijt. Quibus auditis dictus Gregorius prædeceſſor reſpondit, ſe precibus libenter aſſentiri: ſed quoniam non audebat Sancta Sedes librum æternæ vitæ perſcrutari, niſi Spiritu ſancto aperiente, velle ſe diutiùs immorari, ac maturiùs procedere: & propterea omnes in Domino rogauit, vt ſecum vnà orationibus, ieiunijs ac eleemoſynis diuinæ voluntatis arbitriũ explorarent. *Vtriuſque Signatur Referendarius.*

Demum verò Conſiſtorio, quod ſemipublicum vocant, indicto, in quo prædicti omnes, ac etiam Sedis Apoſtolicæ Notarij, & cauſſarum dicti palatij Auditores, dilecti filij, interfuerunt, omnes Beatum Virum canonizandum eſſe publicis ſuffragijs iudicarunt. Quorum vnanimi conſenſu audito, ipſe Gregorius prædeceſſor aperiens os ſuum in benedictiones, gratias egit diuinæ Clemẽtiæ, quòd tantã contuliſſet gratiã ſeruo ſuo: ſtatuitq; illum inter Sanctos referre, vnà cum Beatis Iſidoro Agricola, & Ignatio Loyola, ac Frãciſco Xauerio, nec non Tereſia. De cuius quidẽ Beati viri Philippi origine, vita virtutũ donis & miraculis aliqua ex multis in proceſſu deductis, recenſenda duxit. *Tertiũ cõſiſtorium.*

Eſt igitur natus Philippus Florentiæ, milleſimo quingenteſimo decimo quinto, *Philippus naſcitur.*

ſalutis

ſalutis anno, ſedente Leone Decimo Pontifice Maximo, & in eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ baptiſmali fonte ablutus. Franciſcum Nerium, & Lucretiam Soldiam honeſtiſſimæ vitæ atque probatæ integritatis parentes habuit; à quibus adhuc puerulus optimis moribus imbutus, ab ipſa ineunte ætate ob præclaram, quam præ ſe ferebat, naturæ indolem, non modò aliorum animos in ſui rapiebat amorem, vt Pippus bonus appellaretur, ſed diuina in omnibus iuuante gratia, videretur de ſe magnum aliquid præmonere. Nam octo annos natus, vnà cum aſello, quem conſcenderat, in cellam vinariam præceps delapſus, atque iumenti onere oppreſſus, ingenti admiratione qui mortuus credebatur, extractus eſt viuus & incolumis. Vbi verò ad annum peruenit ætatis decimum octauum, miſſus eſt à patre ad opidum S. Germani, vt ibi apud patruum opibus abundantem mercaturam exerceret: qui adoleſcentis optimi lætificatus aduentu, ipſum breui, propter eius probitatem, in hæreditatem vocare conſtituit.

At verò Philippus cœleſtium deſiderio indies ardentior, à patrui gratia & beneuolentia ſibi timere cœpit; donec duobus, annis tranſactis, mercaturæ nobilioris auidus, contemptu viginti millium aureorum

heredi-

hereditate ab illo oblata, Romam inde ſe contulit: vbi oportunum & aptum ad ſolida virtutum officia nactus locum, pietatis operibus Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudium adiunxit: & interim arctam vitæ viã ingreſſus humi plerumque cubare, tenui victu atque aſſiduo ieiunio delectari, & aliquando per triduum ab omni cibo abſtinere, ſeptem præcipuas Vrbis eccleſias obire, & in cœmiterio Caliſto nuncupato in oratione pernoctare ſæpe conſueuit. Ac vix annum ætatis ſuæ viceſimum nonum attigerat, cum inter alia diuinitus accepta dona, planè mirabilis cordis palpitatio fuit ac fractura coſtarum: quæ publico medicorum teſtimonio præter naturæ ordinem obtigit, quaſi mentis dilatato ſinu, etiam caro dilataretur, & exultaret in Deum viuum: & ad animarum propterea ſubſidiũ ſe multò magis vocari ſentiens, de ſolitariæ vitæ ſeueritate diuino nutu remitte cœpit, atque inter cuiuſque conditionis homines ea mente verſari, vt publicis adhortationibus, & priuatis colloquijs Chriſto Domino quàm plurimos lucraretur, nullo incommodo, nullo penitus deuitato labore.

*Romã petit*

*Cordis palpitatio.*

Eodemque ferè tempore, quo ſanctiſſimæ Trinitatis Confraternitas ad Peregrinorum, & Conualeſcentium commoditatem

*Sodalitiũ ſanctiſſimæ Trinitatis iuſtituit.*

*Sodalitiũ ſanctiſſimæ Trinitatis inſtituit.* tatem ipſius conſilio atque opera fuit inſtituta, cùm vnoquoque menſe quadraginta horarum ſupplicatio decreta eſſet, ipſe totas penè noctes ducebat inſomnes, & confratres ad orationem hortabatur, & exemplo mirificè incitabat. Cùm verò ad triceſimum ſextum annum perueniſſet, Confeſſarij iuſſu ſacerdos factus, & audiendis fidelium confeſſionibus præfectus, in ædibus S. Hieronymi de charitate nuncupati habitauit: in cuius eccleſia ad Sacramentorum frequentiam, & ad dandam ſcientiam ſalutis ſemper intentus, in proprio etiam cubiculo pia de diuinis collocutione illos erudiebat, qui eius ſeſe diſciplinæ tradiderant.

*Fidei feruor.* Et in hoc ipſo ſuorum progreſſu attendit animum Indeas adeundi, ad vineam Domini excolendam, & fructus vberiores etiam profuſo ſanguine reportandos. Vt autem ea de re ſupernum conſilium exploraret, virum Ciſtertienſis ordinis pietate inſignum conſuluit, à quo reuelante Deo admonitus eſt, eius Indias Romæ futuras. Quamobrem maiori ſuccenſus ardore, non ſolùm duriſſima peccatorum ſeruitute preſſos ad Chriſti Domini obſequium traducere ſtuduit, verùm etiã ſedentes in tenebris & vmbra mortis infideles ad clariſſimum fidei lumen adduxit:

quo

quo illuſtrati nonnulli Hebræi Chriſtum recipere, & Hæretici ad Catholicam veritatem redire non dubitarunt. Certè de nouatoribus reuincendis, vel ad Romanam Eccleſiam reducendis, maximè viſus eſt fuiſſe ſollicitus, cùm bonæ memoriæ Cæſarem presbyterum Cardinalem Baronium nuncupatum, adhuc in minoribus conſtitutum, ad opus Annalium per tot annos vrgere non deſtitit: vt ipſemet poſtea Cardinalis ſcripſerit, non ſe Annalium eccleſiaſticorum ſed Philippum auctorem extitiſſe.

*Congregationem Oratorij inſtituit.*

Iamque in Eccleſia S. Hieronymi pijs ac familiaribus colloquijs diu ad virtutes erudierat confluentes, cùm ad maiorem fructum ex verbi Dei ſemine percipiendum ex filijs, quos Chriſto genuerat, delectis nonnullis, recolendæ memoriæ Gregorij Decimi tertij etiam prædeceſſoris noſtri auctoritate, apud dictam eccleſiam beatiſſimæ Virginis MARIÆ & S. Gregorij Congregationē prædictā Oratorij fundauit: & congruentibus inſtitutis à p̄dicto Paulo prædeceſſore poſtea confirmatis, in Presbyterorū ſæculariū ſtatu, abſque voti vllius vel promiſſionis vinculo, ad quatuor familiares ſermones ſingulis in hebdomada ferijs, excepta die Sabbati, diuinis de rebus habendis, ad quotidianā ſub veſperā

in Ora-

in Oratorio publico Orationem, ad Sacramentorum frequentiam, & ad alias complures Chriſtianæ pietatis exercitationes retinendas muniuit ac ſtabiliuit.

*Amor in Deum.*

Vt autem ſpeciatim tanti viri virtutes agnoſcantur, & per viam ſalutis incedentibus ſubſidio eſſe valeant, non eſt omittendum, quòd is fuit in primis charitate in Deum admirabili, vt internus ille ignis nônunquam, dum attenderet ad diuina, redundaret in corpus, & facies atque oculi ſcintillulis micarent, atque etiam ex improuiſo illa Apoſtoli verba ſæpiùs vſurparet, Cupio; ſed mox animaduertens, ſuæ in in Deum deuotionis occultandæ gratia, reliquum ſententiæ reticebat, nimirum, Diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

*Euchariſtia frequentia.*

Perpetuo atq; ardenti ſtudio venerandũ Euchariſtiæ colebat Sacramentum: vel enim laicus, vel ſacerdos celebrans, vel ægrotans in lectulo, illius quotidiana ſuſceptione reficiebatur. Verùm inter celebrandum feruidus lignium altaris gradum quodam exultationis tremore concutiebat.

*Lacryma.*

In ipſa Dominicæ paſſionis memoria, atque iniquorum hominum ingratitudine gemitus fundebat vberrimos: & miraculo tribuebatur, quòd præ aſſidua lacrymandi conſuetudine vim oculorum non amiſiſſet.

Inter

Inter cætera, quibus ad huiuſmodi charitatis gradum peruenit Philippus, ſummum fuit orationis ſtudium, cui inexplicabili deſiderio ſemper addictus, omnia Congregationis exercitia in eam quodammodo tendere curauit: vt inde meritò Oratorij Congregatio fuerit appellata. *Orandi ſtudium.*

Hæc ipſa Beati Viri charitas miris modis redundat in ſingulos cuiuſque conditionis homines: nam omnium vtilitati ac neceſſitati expoſitus, nullum ſibi tempus certum eſſe voluit, in quo ſuæ parceret valetudini, & quod inhabitabat cubiculum non pateret aliorum commoditati, ſumma lenitate excipiens ad ſe venientes, factus omnibus omnia, vt omnes Chriſto lucrifaceret. *Charit. in proximos.*

Singulari præſertim induſtria per Chriſtianæ lætitiæ ſemitas deduxit adoleſcentes: qua vel ſeptem Vrbis eccleſias, vel Xenodochia, vel alia pia exercitia frequẽtantes, labore ac moleſtia ex parte leuarentur. Summa item aſſiduitate viſebat ægrotantes, præſertim è ſuis, nec eos deſerebat, dum noſſet mortis periculum inſtare. Tentationes diaboli repellebat mirabiliter: atque à plurimis laborantibus in extremis, cùm ipſe accederet proferretque verba: Quis iſthîc? dæmones ad vocẽ perterriti, ſeſe in fugam viſi ſunt conijcere. *Eleemoſyna.*

H Cura-

Curabat autem hominum ſaluti non ſolùm interno, ſed etiam externo ſubueni-re ſubſidio, & numeroſis plerumq; familijs neceſſaria ſuppeditare, dotem indigētibus virginibus elargiri, egenis Religioſorum domibus opem ferre, vinctis in carcere e-leemoſynas abundanter impertiri: vt meritò Pater animarum diceretur & corporum: quem charitatis affectum etiam miraculis Dominus comprobauit. Intempeſta enim nocte panem deferens ad familiam, in egeſtate multa conſtitutam, in profundam foueam incidens, ab Angelo incolumis ereptus eſt: qui etiam aliàs Angelo, ſub ſpecie pauperis eleemoſynam ſibi petenti, omnem pecuniam, quam apud ſe habebat, prompto atque hilari obtulit animo.

*Virginitas.* Charitati virginitatis donum adiunctū habuit: quo multi, qui cum ipſo verſabantur, vel vultus atque oculorum intuitu, vel ſuaui fragrantia, qua illius corpus redolere conſueuerat, recreabantur: ſolitus ipſe pudicitiam ex odore, impudicitiam ex fætore dignoſcere, ſoloque manuum contactu impuris tentationibus eſſe remedio. Huic integerrimæ puritati ſæpe humani generis hoſtis per impudicas mulieres tetendit inſidias: ipſe verò ad orationem ſemper confugiens victor glorioſus euaſit.

Eam ob cauſam perpetuę deditus abſtinentiæ, loco prandij, tenui vtebatur ientaculo, cui cœna ſuccedebat non abſimilis. Abſtinuit ſemper à cuiuſuis generis lacticinijs: rarò piſces, carnes verò rariſſimè deguſtauit: potu fuit admodum tenui, aqua magis vſus quàm vino. Ea demùm erat potus cibique parcitas, vt ſuſtentari Medicorum atteſtatione naturæ viribus non valeret; crederetur tamen (præſertim à ſuis) Euchariſtiæ virtute vitam ad ſenectutem traduxiſſe. *Abſtinentia.*

Cum huiuſmodi abſtinentia coniunxit etiam rerum omnium mundanarum contemptum: non modò enim hereditatem ac patrimonium reſpuit, & quàm multas ſibi teſtamento relictas facultates ſumma animi conſtantia repudiauit, ſed etiam dum in ædibus S. Hieronymi habitaret, nudis contentus cellulis, conſueta ſtipendia recuſauit. Ab honoribus atque eccleſiaſticis dignitatibus alienus, adduci numquam potuit, vt penſiones atque beneficia reciperet. Canonicatus in Vrbe primos, Epiſcopatum & Cardinalitiam dignitatem, à piæ etiam memoriæ Gregorio Decimoquarto, & prædicto Clemente, prædeceſſoribus noſtris, ſibi oblatam omnino recuſauit. *Mundi contẽptus.*

Humillimus fuit, atq; beati Franciſci exemplo *Humilitas*

emplo ſe maximum ex peccatoribus con-
*Humilitas* ſtanter affirmabat : ideoque conteſtari quotidie ſolitus Deum his ferè verbis : A me tibi caueas Domine ; te enim hodie traditurus ſum , & omnia perpetraturus mundi peccata, niſi tua me gratia benignè protexeris. Cumque ægrotaret aliquando, atque ipſum obſecrarent adſtantes, vt ſuorum ſaltem beneficio, illam S. Martini dirigeret ad Deum orationem ; Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem; ſumma animi demiſſione reſpondit: Non ſum ego S. Martinus, nec me talem vnquam exiſtimaui: quòd ſi me vobis neceſſarium reputarem , perditum crederem. Atque hinc eſt, quòd ſe Rectoris & Præpoſiti, nec non Congregationis à ſe erectæ Fundatoris titulo ægrè admodum tulerit appellari. Quinimo biennio ante obitum Congregationis adminiſtrãdæ munus depoſuit.

*Patientia.* Tantæ eius humilitati patientia non defuit. Tranquillo ſemper animo excitatas tam aduerſum ſe , quàm Oratorij ſui exercitia perſecutiones tolerans; in quibus etiam pro perſecutoribus verus Chriſti imitator aſſiduè deprecabatur : iſque fuit precationum fructus, vt ex eis plurimos ſola patientia ad Deum conuerterit ; qui verò ab incœptis non deſtitere , diuinam

vltio-

vltionem ſint experti. Magnæ inſuper patientiæ extitit in perferendis diuturnis corporis infirmitatibus, quibus ſingulis ferè annis diuexabatur: ita vt ad extremum vitæ perductus, oleo ſancto quater inunctus fuerit. Quo autem tempore ægrotabat, nulla vnquam de doloribus habita querimonia, ſed hilaris facie incredibilem animi lætitiam indicabat. Ab ipſa verò infirmitate, quantumuis graui, conualeſcere ſæpe ſolebat repente prorſus ac mirabiliter.

In Chriſtiana mortificatione adeò præcellebat, vt meritò habitus fuerit eiuſdem virtutis ſingularis magiſter: & in primis, mentis diſcurſum, quem ipſe Rationalem nominare conſueuerat, aſſiduè comprimere & captiuare intellectum in obſequium Chriſti ſtuduerit: ideoque ea ipſe plerumque faciebat, & facienda proponebat alijs, quæ intuentibus animi potiùs leuitatem atque ſtultitiam ſaperent. *Mortificatio.*

Iam vero nonnulla etiam dona recenſenda ſunt, quibus Beati Viri virtutes immenſa Dei bonitas illuſtrauit. Frequenter enim ecſtaſim, raptuſque diuinos patiens, è terra ſurſum totus vndique ſplendore circumfuſus eleuabatur. *Ecſtaſes & raptus.*

Cœleſtibus item viſionibus dignabatur aſſiduè; Dominicæ enim natiuitatis nocte Chriſtum in altari pueri ſpecie intuitus *Viſiones.*

eſt: & aliquando in ſacratiſſima Hoſtia Paradiſi gloriam conſpexit. Vidit etiam beatiſſimam Virginẽ veteris eccleſiæ S. Mariæ in Vallicella tectum manibus ſuſtinentem, donec imminentis caſus ademptum eſt periculum. Eamdem iterum vidit, cùm anno ante obitum ægrotaret: quem ipſa ſibi obuiam ſublatum in aëra mirificè recreatum repentè ſanauit. Quàm plurium inſuper confitentium, atque amicorum animas euolantes in cœlum intueri, atque Angelos concinentes interim audire ſolitus erat: quin etiam interiorem eorum pulcritudinem, qui eſſent in ſtatu gratiæ, diuinitus agnoſcebat. Sanctorum Caroli Borromæi, & Ignatij Loyolæ facies miris ſplendoribus vidit coruſcantes.

*Diſcretio ſpirituum.* Ea erat prudentia præditus, & diſcretione ſpirituum ita excellebat, vt propterea cuiuſque conditionis homines ad ipſum, tamquam ad oraculum, conſulendi gratia confluerent: & ipſimet Summi Pontifices, prædeceſſores noſtri, eius conſilium magni ſemper facerent. Veras à falſis viſiones diſcernebat; & licet ſæpiſſimè antiquus noſtri generis hoſtis horribili ſe forma videndum offerens, deterrere ipſum conaretur: ſemper tamen fortis & inuictus de eodem glorioſè triumphans, pacem veramque tranquillitatem, qua

frueba-

fruebatur interiùs retinuit.

In Prophetiæ dono, & abſentium rerũ, ac ſi præſentes eſſent, præuiſione, occultiſque cordis humani diuinitus dignoſcendis talis erat, vt de ipſo verè affirmari poſſit: Non eſt inuentus ſimilis illi. *Prophetia.*

Illud etiam Philippo collatum à Deo fuit, vt dum vno eſſet in loco, in alio longè diſtante, vno eodemq́ue prorſus tempore nonnullis apparuerit. Quapropter cùm in ædibus S. Hieronymi commoraretur, cuidam è ſuis apud dictam eccleſiam beatiſſimæ Virginis Mariæ & S. Gregorij degenti, ſe præſentem oſtendens, ſubſidio quo indigebat adfuit: & Romæ aliàs exiſtens quemdam ex numero ſibi confitentium, in mare pæne ſubmerſum, medijs è fluctibus capillis apprehenſum liberauit. Iterumq́ue cùm in Vrbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam, ſub regula S. Auguſtini monialem, Prati in Hetruria commorantem, longo temporis ſpatio eſt allocutus. *Abſens pluribus apparuit.*

Inter hæc mirã ad patranda miracula à præpotenti Domino conſecutus gratiam, quàmplurimos liberauit à quacumq; detinerentur infirmitate. Nonnullos enim ſolo ſanctiſſimæ Crucis adhibito ſigno, alios ſalutari manuũ contactu ſanauit: inter quos Clemẽs Octauus p̃deceſſor noſter grauiſſi- *Miracula in vita.*

mis chiragræ doloribus oppreſſus, ſanus illicò factus eſt: & nobilis quidam Romanus à peſtifera corporis contagione curatus. Alios præterea priſtinæ ſanitati reſtituit ſola orationis virtute; alios morbis, quibus tenebantur, tantùm imperando: quod præcipuè contigit Mariæ Felici à Caſtro, in monaſterio Turris ſpeculorum moniali, quæ continua febri correpta, Philippo iubente, ſtatim conualuit. Alios remedijs omnino contrarijs curauit; quod dictus Cæſar Cardinalis eſt expertus, cui ſtomachi & capitis debilitate ita laboranti, vt retinere vix cibum atque orare nulla ratione poſſet, imperauit, vt coram ſe panem, integrum cum malo citreo comederet, qui ſtatim atque ſerui Dei mandatum executus eſt, ſtomachi atque capitis moleſtijs ſenſit ſe omnino liberatum. Alij verò rebus, quibus vtebatur Philippus, morbo admotis, ſanitatem priſtinam recepere: inter quos Eugenia Manſueta de Colle Scipionis, naribus vlcere quodam, decem & octo menſium ſpatio, horrendum in modum infectis, linteoli parte ſerui Dei, adhuc viuentis, ſanguine reſperſa, vlceri ſumma fide appoſita, confeſtim curata eſt. Quin etiam conſtat mortuos fuiſſe eius voce vitæ reſtitutos: quod Paulo, Fabritij de Maximis filio, contigit, qui mortuus,

nomen

nomen illius inclamante Philippo, illicò ad vitam redijt, & confeſſione peracta, ab eodem interrogatus, an libens iterum è vita decederet, annuens, in pace quieuit.

*Mortuum ad vitam reuocat.*

His virtutibus ac donis, quibus à Deo tam liberaliter auctus eſt Philippus, tantæ extitit mortalibus admirationi, vt qui ſeruum Dei noſſent, eius ſanctitatem vbique prædicarent: & prædicti prædeceſſores noſtri ſummo honore ac veneratione proſequerentur; Clemens prædeceſſor prædictus eius manus etiam oſculans, & Gabriel Paleotus in libro, quem ſcripſit De bono ſenectutis, Philippum adhuc viuentem, tamquam verum eximiæ ſanctitatis atque virtutum omnium exemplar propoſuerit; & Auguſtinus dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Veronenſis nuncupatus, libellum quem compoſuit, Beato Viro itidem viuente, Philippum ſeu De lætitia Chriſtiana inſcripſerit. Summæ etiam venerationi habitus eſt à Sanctis viris, & quàmplurimis Dei famulis, vt à Carolo, qui quotieſcumque eum adibat, ponere genua, & manus eius oſculo petere conſueuit.

*Fama ſanctitatis.*

Verùm ingraueſcente iam ætate, cùm incitato ſemper curſu ſuſceptam ſalutaris vitę rationem feliciter proſecutus eſſet, die mortis ſuæ atque hora multifariam prædi-

*Infirmitates, & mors*

ctis, plenus dierum, octauo Calendas Iunij, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, qua die Dominici corporis celebritas contigit, cùm mane vehementi deuotionis ſpiritu, quaſi præ lætitia concinens ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebraſſet, & nonnullis adſtantium, quorum confeſſiones audierat, Euchariſtiæ ſacramentum miniſtraſſet, conſuetis exercitationibus de more expletis, poſt mediam noctem, ea qua prædixerat hora, omnipotenti Deo, cui fideliter ſeruierat, ſpiritum placidiſſimè reddidit: & poſt obitum quàmplurimis, tam Romæ quàm alibi, gloriæ claritate illuſtris apparuit: & ſummo mane ſerui Dei corpore in eccleſia ſuper feretrum expoſito, mortis feliciſſimæ fama iam diuulgata, innumerabilis cuiuſque conditionis hominum illuc multitudo conuenit: inter quos multi ex viris Principibus, Præſulibus atque Cardinalibus confluxere, & toto bidui ſpatio, quo corpus, antequam conderetur in eccleſia, piè reſeruatum eſt, ingens populi frequentia, abſque intermiſſione, manus pedeſq; exoſculari, coronas atque roſaria venerando corpori admouere non deſtitit: & ij quibus præ multitudine ad corpus nõ dabatur acceſſus, feretrũ, in quo iacebat, oſculabãtur.

Eo

Eo interim tempore multa ſunt, eius ſuffragantibus meritis, edita miracula. Inter cæteros enim adoleſcens, vnà cum ſorore, ſtrumis diu laborantes diu laborantes, ſerui Dei manu loco admota, vbi morbus reſidebat, extemplò curati ſunt: quemadmodũ & mulier quędam à diutina difficultate reſpirandi, & alij quàmplures à varijs infirmitatum generibus conualuere. *Miracula ad corpus ante ſepulturam.*

Poſthæc, vbi ſelectiore in loco corpus reconditum eſt, ad ipſum venerandum populi concurſus fieri, votiuæ deferri tabellæ, donaria permulta appendi, ac ſuauiſſimus quidã odor à multis inde percipi cœpit. Septem autem poſt annos integrum repertum, ſumma omniũ lætitia translatũ eſt in ſacellum, erectum atque ornatum à quondam Nerio de Nigris, nobili Florentino, & domicello Romano; cui Deus Sãcti huius interceſſione filium conceſſit, Philippum propterea à parentibus nominatum: quem poſt menſes decem & octo, graui morbo correptum, mortique iam proximum, Beatus vir ſibi commendatam, priſtinæ ſtatim ſanitati reſtituit. Sed ne videamur ſingula recenſere miracula, quibus ſeruum ſuum mirificauit Altiſſimus, noſſe ſatis erit, alios præcordijs eiuſdem ſanatos, vt Theodoſiam monialem monaſterij S. Luciæ in Silice de Vrbe, quæ *Sepulturam & miracula poſt mortem.*

plenis

plenis morbo decem & quinque annos afflicta extẽplò curata fuit; alios verò capillis, vt puerulum natum mortuum, qui vt baptiſmo ablui poſſet, eſt reuocatus ad vitam: alios quibuſdam ſerui Dei coronis, vt Felicem Sebaſtianam, quæ à diuturnis crurium vlceribus ſtatim conualuit: alios linteolis, vt Septimiam Neriam, quæ in interiori oculi parte, ignito ferro incautè à ſorore percuſſa, illæſa omninò remanſit, & Ioſephum Sermeium, qui cùm ob grauem infirmitatem eò deueniſſet, vt omnium iudicio mox efflaturus animam crederetur, ſanus repentè factus, è lectulo, in quo iacebat, incredibili omnium admiratione ſurrexit: alios alijs eiuſdem reliquijs, grauiſſimis tentationibus ereptos, vt Stephanum Calcinardum, qui ab impuriſſima quadam fæmina ſollicitatus, Sancti Viri reliquijs, quas deuotionis ergò ſecum deferebat, ſibi pectus occulta quadam vi percuti ſenſit, & vocem eius audiens increpantis ſe, vt à peccato caueret, atque inde feſtinus abiret, dicto obtemperans, continuò aufugit: nonnullos ſola eius vitæ lectione, vt Vincentium Valeſium, qui vehementi vexatus tentatione ſupradictũ exemplum perlegens, ex animo Philippum compellans, his verbis affatus eſt: Cur modò non id ipſum mihi abs te pater? eodem

*Mortuum ad vitam reuocat.*

tem-

temporis inſtanti diſceſſu omnis illa permoleſta mentis agitatio: quamplures miris apparitionibus, vt Druſillam Fantinam, quæ præcipiti caſu proſtrata, ac horribili capitis, oculorum & totius corporis colliſione ſemiuiua iacens, tribus ſerui Dei apparitionibus mirabiliter liberatur. Non abſimile accidit Leonardo Rouello, cui ſanitatem iam à medicis deſperatam petenti, Philippus in ſui feſti peruigilio, noctu apparens, pronuncianſque verba illa, Fili vade in pace, confeſtim præbuit: & adueniente die Leonardus accepti beneficij memor, ad audiendam in eius ſacello Miſſam, pro gratiarum actione, eccleſiam adiuit. Multos ſepulcrum eius viſitantes, veluti Claudiam Grignanalem, quæ poſt longam ſexennij infirmitatem, non valens in ipſa ſumma dolorum acerbitate loco ſe penitus mouere, ad Philippi ſepulcrum aliorum auxilio perducta, vouens de ſeruando ſingulis annis, in vigilia feſtiuitatis eius, panis & aquæ ieiunio, ſtatim doloribus quibus tenebatur, liberata eſt, & omnino ſana per eccleſiam nullius adminiculo inceſſit. Denique ferè innumerabiles editis votis, vt Fratrem Ioannem Baptiſtam Maſſiam de Valentia, ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis redemptionis captiuorum, qui Neapoli cum eſſet, annum-

que

que ageret ſupra ſeptuageſimum, vouens ſe Dei ſeruo, eadem prorſus hora, qua Romæ in eiuſdem ſacello Sacrum votiuum peragebatur, tribus deſperatis infirmitatibus, quibus toto biennij ſpatio laborauerat, & ita conſumptus fuerat, vt de facie vix ampliùs agnoſceretur, repentè curatus eſt.

Canonizatio.

Præſcripto itaque Canonizationis die, in feſto S. Gregorij Magni nuncupati, quarto videlicet Idus Martij, pontificatus ipſius Gregorij prædeceſſoris anno ſecundo, iterum dictus Gregorius prædeceſſor eſt hortatus ad iteratas preces, ieiunia & eleemoſynas, vt in tanto opere exequendo lumen eius, qui lucem habitat inacceſſibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus diuinæ gloriæ honor, & Catholicæ Eccleſiæ fides augeretur. Omnibus verò iuxta Sanctorum Patrum traditiones ſacrorumque Canonum inſtituta, & Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem ritè & rectè peractis, dicta die, quarto Idus Martij, idem Gregorius prædeceſſor, ad principis Apoſtolorum baſilicam, cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Prælatis & ipſius Gregorij prædeceſſoris familiaribus, nec non dilectis filijs Clero ſæculari & regulari ac maxima populi frequentia conuenit, & poſt iteratas primò, ſecundò

acter-

ac tertiò, pro canonizationis decreto, petitiones, per dilectum filium noſtrum, tūc ſuum Ludouicum tituli S. Mariæ Tranſpōtinæ presbyterum Cardinalem Ludouiſiū nuncupatum, nomine prædictorum, qui pro ea inſtiterant, poſt ſacros Hymnos, Litanias aliaſq; preces, & poſt imploratam Spiritus ſancti gratiam, ad honorem ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate eiuſdem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorū, decreuit & definiuit, dictum Philippū Nerium Florentinum dictæ Cōgregationis Oratorij fundatorem, vnà cum Beatis Iſidoro & Ignatio ac Franciſco, necnon Tereſia prædictis, Sanctum & Sanctorum catalogo adſcribendum & aggregandū eſſe, prout adſcripſit & aggregauit. Statuens vt ab vniuerſis Chriſti fidelibus in eius honorē eccleſiæ & altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari, & quolibet anno, dicta die illius obit⁹, ſeptimo videlicet Kalendas Iunij, feſtū ipſius & officium, tamquam de Confeſſore non Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breuiarij præſcriptā, ſolemniter celebrari poſſint. Inſuper eadem auctoritate, omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, verè

pœni-

pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ipſius feſto ad ſepulcrum, in quo corpus eius requieſcit, viſitandum acceſſerint, vnum annum & quadraginta dies: ijs verò, qui in eiuſdem feſti octaua id fecerint, etiam quadraginta dies de iniunctis eis, aut aliàs quomodolibet debebitis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxauit: & decantato ſolemniter Hymno, Te Deũ laudamus, & diuina ope implorata, Sancti Philippi & aliorum Sanctorum prædictorum meritis, per peculiarem ad id orationem, quam dictus Gregorius prædeceſſor piè & ſolemniter recitauit: ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, ſolemni pompa & ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare principis Apoſtolorum celebrauit: & omnibus Chriſti fidelibus, tunc præſentibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem, ad Dei laudem, & gloriam Sanctorum eius, impertitus fuit.

*Confirmatio decet.* Ne autem de Decreto, Definitione, Adſcriptione, Aggregatione, Statuto, Relaxatione, alijſque præmiſſis, pro eo quòd ſuper illis ipſius Gregorij prædeceſſoris litteræ, eius ſuperueniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari; volumus & Apoſtolica auctoritate

decer-

decernimus, quod Decretum, Definitio, Adſcriptio, Aggregatio, Statutum, Relaxatio, Impartitio, aliaque præmiſſa à dicta die, quarto Idus Martij, ſuum debitum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Gregorij prædeceſſoris litteræ, ſub Datum eiuſdem diei, confectæ fuiſſent, prout ſuperiùs enarratur. Quodque præſentes litteræ ad probandum plenè Decretum, Definitionem, Adſcriptionem, Aggregationem, Statutum, Relaxationem, aliaque præmiſſa vbique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Cæterùm quia difficile foret præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, vbi opus eſſet, deferri; volumus vt earum exemplis, etiã impreſſis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem vbique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrarum voluntatum & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnatio-

nis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, octauo Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno primo.

† Ego Vrbanus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

*Locus ſigilli.*

*Ego Franciſcus Mariæ Epiſcopus Portuen. Card. à Monte.*

*Ego Odoardus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Farneſius.*

*Ego Oct. Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Bandinus.*

*Ego Io. Baptiſta Epiſcopus Albanen. Cardinalis Detus.*

*Ego Federicus tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Borromæus.*

*Ego And. tit. S. Laurentÿ in Lucina Presbyter Card. Perettus.*

*Ego B. tit. S. Mariæ in TransTiberim Presb. Card. Beuilacqua.*

*Ego Dominicus SS. Apoſtolorum Presbyter Card. Ginnaſius.*

*Ego Carolus tit. S. Cæſarÿ Presb. Card. Madruti⁹*

*Ego S. Card. Burgeſius tit. S. Chryſogoni maior Pœnitentiarius.*

*Ego Ioan. Garſia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Card. Millinus.*

*Ego M. tit. SS. Quirici & Iulittæ Presbyter Card. Lantes.*

*Ego Ioan. B. tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Lenius.*

Ego

Ego A. tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardin. Capponius.

Ego D. Tit. Martini in Montibus Card. Riuarola.

Ego Petrus Paulus tit. SS. Nerei & Achillei Preſbyter Card. Creſcentius, eiuſdem S. Philippi diſcipulus.

Ego Fr. Aug. tit. S. Mariæ de Ara cœli Presbyter Card. S. R. E.

Ego G. tit. S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis Borgia.

Ego Felix tit. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Aſculanus.

Ego Robertus tit. S. Alexij Presbyter Card. Vbaldinus.

Ego Tib. S. Priſcæ Presbyter Cardinalis Mutus.

Ego Gabr. tit. S. Bartholomæi in Inſula Card. de Trejo.

Ego Iulius tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis Sabellus.

Ego Melchior tit. S. Mariæ de Pace Presb. Card. Kleſilius.

Ego P. tit. S. Thomæ in Parione Cardin. Camporeus.

S. Presbyter Cardinalis S. Suſannæ, S. R. E. Bibliothecarius.

Ego Franciſcus Cenninus Cardinalis S. Marcelli.

Ego Guido tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Bentiuolus.

*Ego Iulius tit. S. Mariæ ſupra Mineruam Presbyter Card. Roma.*

*Fr. Deſiderius tit. S. Clementis Presbyter Cardin. de Cremona.*

*Ego Ludouicus tit. S. Laurentij in Damaſo Presbyter Cardinalis Ludouiſius, S.R.E. Vicecancellarius & Summator Sanct.*

*Ego Coſmus tit. S. Pancratij Presbyter Cardinalis de Torres.*

*Ego C.S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Pius de Sabaudia.*

*Ego M.S. Euſtachij Diaconus Cardinalis de Sabaudia.*

*Ego Carolus S. Mariæ in Dominica Diac. Card. Medices.*

*Ego Alexander S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card. Vrſinus.*

*Ego Franciſcus S. Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Bon-compagnus.*

*Ego Hippolytus S. Mariæ Nouæ Diaconus Card. Aldobrandinus S.R.E. Camerarius.*

O. Veſtrius Barbianus.

G. Montanus.

---

## CAPVT XIV.

### *CONGREGATIO OBLATORVM S. Ambroſij, à Sancto Carolo Borromæo, Cardin. & Archiepiſcopo Mediolanenſi inſtituta.*

Con-

CONgregatio OBLATORVM S. AMBROSII, à Sancto Carolo Borromæo, Cardinali, & Archiepiſcopo Mediolanenſi, inſtituta, conſtat ex hominibus, qui S. AMBROSIO Mediolanenſis eccleſiæ Antiſtiti ac patrono, vltrò ſuaque ſponte ſeſe obtulerunt, ad varia munia eccleſiaſtica, pro cuiuſque captu ac viribus, obeunda, & ad pia quæque præclaraque opera præſtanda. Huius Congregationis fundamentum præcipuum in exquiſita ac planè perfecta ergà ipſos Archiepiſcopos Mediolanenſes obedientia eſt poſitum, ad Dei gloriam, & animarum eiuſdem eccleſiæ ac diœceſis ſalutem impensè procurandam ac promouendam.

Huiuſmodi autem obedientia duabus rebus innititur, Voto & Conſtitutionibus; Voto quidem tamquam forma voluntatem perficiente ac firmante; Conſtitutionibus verò quaſi regula dirigente, viamque præmonſtrante eorum quæ amplectenda & quæ fugienda ſunt. Voti clericorum formula eſt talis:

*Ego N. Omnipotenti Deo, & ſanctiſſimo Patri noſtro Ambroſio, coram beatiſſima Virgine Dei matre Maria, & tota cœleſti curia, ac tibi quoque, locum ſanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij hic obtinendi, Reuerendiſſime Domine pater Archiepiſcope, ceteriſque deinceps*

*Archiepiſcopis ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ, ſucceſſoribus tuis, promitto, ſpondeo ac voueo perpetuam obedientiam in his omnibus quæ mihi præcipientur, ad* Dei *gloriam, & ſalutem animarum eiuſdem eccleſiæ procurandam, adiuuandam, & promouendam, ad præſcriptum inſtitutæ Congregationis Oblatorum ſanctiſſimi patris noſtri Ambroſij: illudque præterea ſpondeo ac voueo, me in Congregatione & inſtituto hoc perpetuo victurum.*

Formula oblationis laicorum eſt talis.

*Ego N. in conſpectu Omnipotentis* Dei *, glorioſiſſimæque ſemper Virginis Mariæ, nec non beati patris noſtri Ambroſij, ac totius curiæ cœleſtis, proſtratus tibi, Reuerendiſſime Archiepiſcope, pater &* Domine *mi, ceteriſque deinceps Archiepiſcopis ſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis, ſucceſſoribus tuis, perpetuam obedientiam offero, tam in ijs, quæ ad curam, ſalutem, ſpiritualemque progreſſum animæ meæ pertinent, quàm in illis etiam, quæ ex Congregationis huius inſtitutis per me præſtanda erunt, in operibus officijſque caritatis in* Deum*, & miſericordiæ in proximos adhibendis.*

Quod ad Conſtitutiones attinet, eas B. Carolus Borromæus digeſſit, & anno 1581. Mediolani typis edendas curauit: ex quibus præcipua hæc capita habe.

Oblati Clerici iuxta præſcriptum Archiepiſcopi, illiuſque iudicium, quod de vno-

de vnoquoque eorum faciet, ita ſe comparent, vt ſemper parati ſint ad ſacras lectiones exercendas, ad concionandum, ad confeſſiones audiendas, aliaque Catholicæ eccleſiæ Sacramenta miniſtranda, ad animarum curam ſuſcipiendam ac gerendam, ad eccleſiaſticas functiones quaſlibet cuilibet Eccleſiæ præſtandas, ad pauperes erudiendos, ad clericorum educationem & inſtitutionem, ad ſeminariorũ collegiorumq; piorum gubernationem ac pcurationem, aliave officia in his ipſis locis exequenda, ad viſitationis miſſioniſque quamlibet munus rectè ac diligenter obeundum; ad deniq; actionem piam próptè adminiſtrandam, & ad omne caritatis & miſericordię officiumq́ue ſtudioſeq́ue obeundum.

Laici verò Oblati ea miſericordiæ caritatiſque erga alios munera ſedulò præſtent, quæ Congregationis inſtituto, pro illorum conditione, cõueniunt. Grammatici pauperes pueros & adoleſcentes litteras gratis doceant, Medici ægrotos curent, Iureconſulti & Cauſidici lites dirimant ac ſedent, pacem concilient, egentium, viduarum, pupillorum, in carceres coniectorũ, ac defenſoribus deſtitorum cauſſas agant ac tueantur, ægros in Xenodochijs præſertim inuiſant, moribundos, vt piè in Do-

mino moriantur, ſedulò cohortentur, alia denique qualiacunqumque Chriſtianæ caritatis officia ſeriò accurateque exerceant.

Porrò cum Viſitatio & Miſſio præſtantiſſimæ & vtiliſſimæ ſint partes huius Cõgregationis functionum, oblati in ijs exequendis quàm diligentiſſimos ſeſe præſtét.

Nulli Oblatorum liceat beneficium aliquod, ſiue eccleſiaſticum ſiue alterius generis ſit, accipere, niſi Archiepiſcopo iubente, neque acceptum dimittere, niſi eodem conſentiente.

Canonicatum, beneficium aut officium eccleſiaſticũ obtinentes, cui reſidendi on' coniunctum eſt, cùm in Oblatorum Congregationem cooptantur, nullis teneantur legibus aut inſtitutis, quæ functiones, beneficio aut officio, quod habent, debitas impediunt.

Vbicumq; in Canonicalibus eccleſijs tres ſaltẽ Oblati beneficiũ, cui reſidẽdi munus ſit annexum, habeant, hi ex Cõgregationis inſtituto ad ſimul viuendum ſe conferant.

Idẽ faciendũ erit, ſi in eodem opido tres ſaltẽ Oblati erunt: niſi eorũ cohabitatione victuſq; communione impedirentur functiones ad Eccleſias pertinentes, quibus illi adſcripti ſunt.

Ceterum vniuerſæ *Cõgregationis* Oblato-

rum

rum quaſi baſis eſt eccleſia *ſacri Sepulcri*, in vmbilico vrbis Mediolanenſis ſita; eiuſdemq; domus Præpoſitus eſt ſecundarium quaſi caput. Primarium namque ac ſupremum caput eſt Archiepiſcopus Mediolanenſis.

Ad hanc Congregationem inter alia ſpectat in primis cura *Collegij Heluetiorum ac Rhætorum*, quod S. Carolus Borromæus fundauit; item gubernatio *Collegij Borromæi*, quod idem S. Carolus in Academia Ticinenſi ſeu Papienſi conſtruxit.

*De Oblatis S. Ambroſij plura qui volet, legat Acta & Concilia Eccleſiæ Mediolanenſis, iuſſu S. Caroli Borromæi publicata, itemq; Vitam eiuſdem S. Caroli, auctoribus Carolo à Baſilica Petri, Epiſcopo Nouarienſi, & Petro Iacobo Baccio.*

---

## CAPVT XV.

CONGREGATIO CLERICORVM *regularium, Miniſtrantium infirmis, per Camillum Lælium eiuſq; ſocios incohata, à Sixto V. Papa an. 1586. confirmatum.*

SIXTVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Ex omnibus Chriſtianæ caritatis officijs, quibus æterna Salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro Ieſu Chriſto vel maximè placere credimus, per quæ pauperes Chriſti, infirmi, &

in hoſpitalibus exiſtentes, in neceſſitatibus ſuis ſpiritualibus & corporalibus adiuuãtur. Quod genus officij dilectus filius CAMILLVS DE LÆLIIS presbyter Theatinæ diœceſis, & alij eius ſocij, quam Deo gratum, & ſaluti animarum neceſſarium eſſe intelligentes, hiſce diebus erga pauperes Chriſti, in hoſpitalibus Vrbis noſtræ exiſtentes, nõ minori affectu, quàm mater erga quem vnicè educauit filium demonſtrarunt, & quotidie hos modò, cum omni qua decet manſuetudine & caritate ad patientiam, alios ad Sacramentorum eccleſiaſticorum ſuſceptionem commonendo, alios in articulo mortis conſtitutos cõſolando, & denique ad bene moriendum die noctuque hortando demonſtrare non ceſſant. Idemque præſtare intendunt, tempore etiam, quod abſit, peſtilentiæ.

Hi itaque *Camillus* & ſocij, inſimul & in communi, ſub paupertate, caſtitate, & obedientia, ita tamen, vt voto aſtricti non ſint, viuere, & Altiſſimo, ac eius pauperibus famulari proponentes, vnam inter ſe Societatem ſeu Congregationem, ſub vocabulo ſeu nomine MINISTRANTIVM INFIRMIS, cuius principale inſtitutum eſt, ſpeciali quodam caritatis feruore, infirmis prædictis inſeruire, ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito

inierunt,

inierunt, ſperãtes ex hoc multis incommodis & periculis, in quæ ſæpenumero dicti infirmi ob defectum talium miniſtrorum inciderunt, obuiam iri, ac ſalutẽ animæ & corporis, multaque Chriſti fidelibus commoda parari.

Nos eorũ ſupplicationibus inclinari, ac de huiuſmodi pro propoſito, & viuẽdi modo, quo ipſi intendunt vti, plenè etiam ex relatione dilectorum filiorum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper conſultatione & cauſis Epiſcoporum ac regularium, ac viſitatione Apoſtolica deputatorũ informati, ex certa noſtra ſciẽtia, Congregationem, ſub vocabulo ſeu nomine Societatis miniſtrantium infirmis, per vnum maiorẽ miniſtrum ſeu ſuperiorẽ (qui presbyter eſſe, ac per eandẽ Congregationem de trienio in triẽnium per maiorem partẽ ſuffragiorum eligi debeat) regendam & gubernandã, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos, tam iuris quam facti defectus, ſiqui interuenerint in eiſdem.

Et quia dicta Congregatio proprietate rerum temporalium carere inſtituit, nos pariter Camillo & præfatis, ac pro tempore exiſtentibus ipſius Cõgregationis ſocijs & alijs ab eis deputatis & deputãdis, quod

eleemo-

eleemoſynas vbicunque, præterquam intra Eccleſias, monaſteria & pia loca, colligere, ac in dictæ Congregationis communes vſus conuertere, Vicarij vrbis, ſeu cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita. Dictaque pietatis opera erga quoſcunque infirmos, in quibuſcunque hoſpitalibus, ſeu alijs dictæ vrbis locis à dictorum hoſpitaliũ, ſeu locorum præfectis, vel adminiſtratoribus vocati, ſeu de eorũ licẽtia vel conſenſu exercere, ipſeque ſuperior vel maior miniſter, qui, vt præfertur, presbyter eſſe debet & alij eiuſdem Congregationis presbyteri, dummodo alias ſint idonei, & ab vrbis vicario approbati, infirmorum & ægrotantium in dictis hoſpitalibus & locis exiſtentium confeſſiones audire (ſine præiudicio eorundem hoſpitalium, aut locorum, vel eorum officialium, ſeu adminiſtratorum) libere & licite valeunt, tenore præſentium facultatem concedimus & indulgemus. Ita tamen, vt tam Superior quam alij dictæ Congregationis ſocij, ipſius Congregationis inſtituta, & ordinationes iam factas & pro tempore faciendas (dummodo illa, quamdiu ab Apoſtolica ſede approbata non fuerint per ipſius Congregationis protectorem reuiſa & approbata ſint) in communi, ex dictis piorum eleemoſynis viuant.

Non

Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis. Cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decima octaua Martij, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno 1.

## NOTATIO.

*Conſuetudinem, inter eccleſiaſticos & laicos homines, ægris in Xenodochio publico iacentibus officiosè tractandis diu intermiſſam S. Philippus Nerius Romæ ſuo exemplo in vſum reuocauit. Solebat enim quotidie Noſocomia publicaq; valetudinaria adire, miſerorum in ijs lectos circumire, mæſtos blandè conſolari, perditos cæleſtium bonorum ſpe recreare, cunctos ad patientiam vitæq; honeſtatem hortari, cibarijs allatis pauperes reficere, animam denique agentibus præſtò adeſſe. Neque is labor irritus fuit: ex eo enim magnos collegit ſalutis animorum fructus. Nec defuerunt diſcipuli qui patris ſui ſpiritualis exemplum ſequerentur. Inter alios eminuit pius admodum Sacerdos* CAMILLVS LÆLIVS, *qui hortatu eiuſdem Nerij, ordinem Clericorum regularium Miniſtrantium infirmis Romæ inſti-* 1586.
*tuit. Sic fere Petrus Iacobus Baccius in vita eiuſdem Nerij Italicè an. 1622. in Vrbe edita lib. 1. cap. 6. teſtatur.* 1614.

*Obijt autem, cum ingenti ſanctitatis opinione, idem Camillus Lælius Romæ die 14. Iulij, anno*

*Chriſti*

*Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto, ætatis ſuæ ſexageſimo quinto.*

## CAPVT XVI.

CONFRATERNITAS SEV SOCIEtas *ſanctiſſimæ Crucis in diœceſi Vicentina inſtituitur, & ab Auguſtino Valerio, Card. & Epiſcopo Veronenſi, itemq; à Michaele Priolo, Epiſcopo Vicentino, confirmatur an.* 1586.

MIchael Priolus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Vicentinus, Dux, Comes & Marchio, vniuerſis & ſingulis has præſentes noſtras viſuris, lecturis, pariter & audituris, notum facimus & atteſtamur, qualiter præſentatis coram nobis, & per perſonas à nobis deputatas viſis, & diligentes examinatis Ordinibus Venerabilis Societatis S. Crucis, Ordines ipſos admiſimus & confirmauimus, prout admittimus & confirmamus per præſentes. In quorum fidem &c. Datum Vicentiæ in palatio Epiſcopali noſtro, die 27. O-
1586. ctobris, milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto.

Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Auguſtinus Valerius, miſeratione diuina S. R. E. & S. Marci presbyter Cardinalis, de Verona nuncupatus, Epiſcopuſque Veronæ & Comes,

Comes, ac in ciuitate & diœceſi Vicentina Viſitator, Reformator & delegatus Apoſtolicus generalis & ſpecialis, annuendo pijs petitionibus confratrum S. Crucis, Ordines, ſtatuta, Capitula & inſtituta, ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Epiſcopo Vicentino approbata, & mandato Amplitudinis ſuæ Illuſtriſſimæ viſa à perſonis ad hoc deputatis, inhærendo approbationi Epiſcopali prædicta, auctoritate ſua comprobauit & corroborauit, Veronæ 30. Octobris milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto. 1586.

## NOTATIO.

*Societas S. Crucis (quæ potiſſimum eſt laicorum hominum) varia habet Oratoria ſeu Collegia in agro Vicentino ſita: inter quæ eminent iſta.*

| | |
|---|---|
| Recarnatenſe, | *Nel Colle di Recarnato.* |
| Granconenſe, | *Di Granconà.* |
| Baſtienſe, | *Della Baſtia.* |
| S. Felicis, | *Di S. Felice.* |
| S. Caſſani, | *Di S. Caſſano.* |
| S. Theclæ, | *Di S. Thecla.* |

Eiuſdem Societatis ſtatuta ſeu Ordinationes exſtant Venetijs in 4. typis editæ an. 1587. apud Dominicum Nicolinum.

CA-

## CAPVT XVII.

### CONGREGATIO CLERICORVM *regularium Minorum, à Ioanne Auguſtino Adorno inſtituta, per Sixtum V. an. 1588. approbatum.*

SIXTVS Papa V. ad futurum rei memoriam. Sacræ Religionis propagationem noſtris potiſſimùm temporibus vbique vigere, eiuſque fructus Domino gratiſſimos, & vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ vtiliſſimos, animabuſque fidelium nimium ſalutares, quos ex perſonarum ibi degentium deuotis & continuis precibus, cum vitæ probitate, & ſanctitate coniunctis, prouenire cognoſcimus, accreſcere ſemper ex animo deſiderantes, quo eccleſia hæc viſibilis, quæ contra harum tenebrarum Principes & Rectores perpetuò militat, huius mundi nequitijs & hoſtilibus inſidijs faciliùs reſiſtere, & mortifera tela propulſare queat, fidelium vota in id ipſum tendentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illiſque fauorem Apoſtolicum impartimur, prout ipſa videntur expoſcere, & nos conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Sanè pro parte dilectorum filiorum IOANNIS AVGVSTINI ADORNI presbyteri Ianuenſis, & ſociorum, nobis exhibita peti-

petitio continebat, quòd ipſi pluribus abhinc annis, tamquam diuino afflatu inſpirati, ad omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem, vnam presbyterorum & *clericorum regularium* Congregationem inſtituere, ac vt cum maiori animi quiete Deo ſeruire, & illi magis adhærere poſſint, tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, *paupertatis* ſcilicet, *caſtitatis*, & *obedientiæ* vota emittere, ac ſub ſolito & communi habitu clericali in vnum habitantes, & in communi ac de communi viuentes; necnon Deo humiliter & deuotè, quantum ipſe dederit, ſeruientes, ſub noſtra & Apoſtolicæ Sedis immediata ſubiectione, & ſpeciali protectione, regularem vitam ducere, ac continuis orationibus, ſpiritualiumque operum exercitio, & aſperæ carnis maceratione, ad ſuarum, aliorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem, & profectum, vacare decreuerunt.

Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum pio deſiderio huiuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis oportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur *Ioannem Auguſtinum*, & ſocios prædictos, ac eorum quemlibet, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs,

tētijs, cēſuris & pęnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſeriè abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, vnam Congregationem regularem presbyterorum, & CLERICORVM REGVLARIVM MINORVM nuncupandorum, per vnum *Præpoſitum generalem*, qui presbyter eſſe, & hac prima vice per IOANNEM AVGVSTINVM & ſocios prædictos, vel eorum maiorem partem, poſtquam profeſſionem emiſerint, & deinceps futuris temporibus per Capitulum generale dictæ Congregationis, per maiorem partem ſuffragiorum, ad vitā eligi debeat, regendam & gubernandam, ad noſtram & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, permittimus & indulgemus, illamq́; ſub B. Petri, ac noſtra, & dictæ Sedis immediata ſubiectione & ſpecali protectione recipimus.

Nec non eidem Congregationi, vt pro eccleſiarum, domorum, & perſonarū ſalubri ſtatu, & directione, quæcunq; ſtatuta & ordinationes, rationabilia & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis non contraria, per Sedem Apoſtolicam approbanda, condere & facere illaq;

pro

pro temporũ qualitate, ac prout expedire videbitur, mutare, & in in totum tollere, aliaque de nouo edere.

Eiſdem *Ioanni Auguſtino*, & ſocijs, ac cuilibet ipſorum, vt tria ſubſtantialia religioſæ vitæ, vt præfertur, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota publicè, in cuiuſcunque Archiepiſcopi, vel Vicarij in ſpiritualibus generalis manibus, coniunctim vel diuiſim, tam in Vrbe, quàm aliàs vbilibet, emittere, & ſolemniter profiteri.

Ac ſub communi & humili habitu pauperum clericorum, ſubq; dominatione & nuncupatione clericorum & presbyterorũ *regularium Minorum*, in communi ac de cõmuni viuẽtes, in locis religioſis aut ſecularibus, prout ipſis ab illis, quorum loca ipſa erunt, conceſſum fuerit, ſeu expedire videbitur, in vnum habere.

Ac alios quoſcunq; ſeculares clericos, & etiã Laicos, qui, Deo adſpirãte, huiuſmodi vitæ frugem & communem viuendi modũ ſeſe conferre voluerint, recipere, & poſt annum probationis ad talem trium votorum profeſſionem in manibus ipſius Præpoſiti generalis, vel alterius, iuxta Cõgregationis inſtituta, & faciendas ordinationes, ac ſacrorum Canonum, & Concilij huiuſmodi diſpoſitionem, emittendam, & ad huiuſmodi communi viuendi modũ admittere.

Ac Horas canonicas, diurnas pariter & nocturnas, nec non Miſſas & alia diuina officia, ſimul & diuiſim, ſecundum vſum & morem Romanæ Eccleſiæ, & iuxta Breuiarium Romanum nouiter compilatum, etiam in Eccleſia dicere & recitare.

Quodq́ue ipſius Congregationis preſbyteri, ab ipſius Congregationis Præpoſito generali, vel alio Superiore, ac ab Ordinario loci approbati, & de licentia ipſius Generalis ſeu Præpoſiti domus, in qua pro tempore habitauerint, quorumcunq; Chriſtifidelium confeſſiones audire, illoſque à quibuſuis peccatis, exceſſibus, & criminibus, non tamen Sedi Apoſtolicæ quomodolibet reſeruatis, abſoluere.

Ac quibuſcunque Chriſtifidelibus, verè pœnitentibus & confeſſis, ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, ſine tamen ſuorum Parochorum, & iurium parochialium præiudicio miniſtrare.

Nec non quaſcunque domos regulares dictæ Congregationis, pro illorum vſu & habitatione, cum eccleſia, campanali, domibus hortis, hortalitijs, & alijs officinis neceſſarijs, conſtruere & ædificare, ſeu cóſtrui & ædificari facere, vel iam conſtructas & ædificatas recipere, liberè & licitè valeant, dictaſque domos ex nunc, prout & tunc,

tunc, & è contra poſtquam conſtructæ & ædificatæ, ſeu receptę, vt præfertur, fuerint, in domos regulares dictæ Congregationis, auctoritate & tenore prædictis, concedimus & indulgemus.

Quocirca vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs, eorum Vicarijs in Spiritualibus, aut Officialibus generalibus, ac Curiæ cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis, ac alijs, ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectabit in futurum, per Apoſtolica ſcripta mãdamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi & quomodo opus fuerit, ac quoties pro parte Congregationis Minorum huiuſmodi, illiuſque Præpoſiti, Officialium, Miniſtrorum, & perſonarum, vel alicuius eorũ fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtẽtes, faciant auctoritate noſtra obſeruari.

Ipſamque Congregationem Minorum, illiuſq; ſingulares perſonas præmiſſis omnibus pacificè frui & gaudere; Nõ permittentes Congregationẽ prædictam, illiuſq;

perſonas, deſuper per quoſcunq; quomodolibet indebitè moleſtari. Cōtradictores quoslibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaq; oportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggrauādo, inuocato, etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachij ſæcularis.

Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui, prædeceſſoris noſtri, de vna, & Concilij generalis de duabus dictis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium, ad iudicium non trahatur, alijſque Apoſtolicis, ac in prouincialibus & ſynodalibus Concilijs editis generalibus vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus contrarijs quibuſcunque; aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die primo Iulij, milleſimo
1588. quingenteſimo octuageſimo octauo, Pontificatus noſtri anno quarto.

NO-

## NOTATIO.

HÆc Congregatio fuit inſtituta auctoritate Sixti V. Pontificis Maximi, qui eò quod fuit ordinis Fratrum Minorum, voluit hanc nouam Congregationem Clericorum Minorum nomine appellari. Eius fundator fuit V. P. AVGVSTINVS ADORNVS Genuenſis, adhibens duos ſocios P. *Auguſtinum Caracciolum* & P. *Franciſcum Caracciolum*, Neapolitanos. Huius ordinis Religioſi, qui ad presbyteratus dignitatem admiſſi ſunt, poſt annum & quatuor menſes, Profeſſionem emittunt, & vltra tria communia vota Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ, vouent etiam ſolenniter non ambire dignitates. Fratres verò laici, poſt tres annos receptione, tria communia vota in Profeſſione emittunt. Vota ipſa quotannis in die Epiphaniæ communiter renouare tenentur. Paupertas in eo conſiſtit, vt de communi viuant; nec vllo modo permittuntur particulares reditus & prouentus in particulari. Rudibus, ſed decentibus veſtibus induuntur: non poſſunt apud ſe habere quidquam aureum aut argenteum, aut quid aliud pretioſum. Singulorum cubicula, eorumque ſupellex paupertate niteſcere debent. Habent orationem mentalem, tum communem manè & veſperi, quam omnes ſimul peragunt

& terminant cum Litanijs B. Virginis, tum circularem, qua ſingulis horis vnus in choro adſtat, orando *pro Rege, pro augmento Reipublicæ, pro benefactoribus.*

In Choro Canonicas horas diuturnas nocturnasque perſoluunt. Celebrant Miſſas ſolennes; ſolùm tamen feſtis diebus. Publicè ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum ſingulis primis Dominicis cuiuſcumque menſis exponũt; ſacerdotes quotidie celebrãt, fratres Clerici & laici ſingulis Dominicis & feſtis diebus Euchariſtiam ſumunt; quot annis ſinguli ſolẽt, ad certum dierum ſpatium, ab omnibus prorſus alijs rebus & ab omni aliorum commercio ſegregati, ſpiritualia quædam peragere exercitia. Vltra ieiunia, quæ cunctis fidelibus Romana indicit eccleſia, obſeruant ieiuniũ Aduentus Domini & feriæ ſextæ, per totum anni circulum & ieiunium feriæ ſecundæ & tertiæ ante cineres, item in ſecundis & quartis ferijs totius anni, carnibus non veſcũtur; ſingulis ſextis ferijs communis flagellatio ſeu diſciplina habetur in eccleſia. Habẽt præcipuè circulares pœnitentias, qua ſingulis diebus vnus in pane & aqua ieiunat, alius cilicium gerit, tertius flagellis ſe cædit. Silentium ſemper & vbique ſeruant, præter duas horas in aſſignato loco, vnam poſt prandium, alteram veſperi.

Proximum

Proximum adiuuant Sacramentorum miniſterio, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ac euangelicis concionibus habendis, tum in eorum eccleſijs, tum in alijs, ſi fuerint accerſiti. Congregationes inſtituunt ſæcularium, ad ipſorum ſpiritualium profectum, doctrinam Chriſtianam pueros docent; Miſſiones exercent, animum agentibus aſſiſtunt, cùm poſtulat occaſio. Litterarum ſtudia ex profeſſo complectuntur, tum ſcholaſtica tum moralia, & caſuum conſcientiæ; externas linguas, vt Græcam, Hebraicam, Syriacam, Chaldaicam, Arabicam excolunt, & Collegia fundare profitẽtur; in quibus ſtudiorum vſus promouetur. Non ſolùm docent ſuos, ſed etiam ſæculares, accurrentes ad Philoſophiam, Theologiam, & doctrinam caſuum conſcientiæ.

Habent pro nouitijs educandis domos ſeparatas, vbi ſpiritualib⁹ ſtudijs & exercitijs imbuuntur. Habent inſuper quaſdam domos, quas vocãt *Receſſus*, in quibus ij qui volunt, ad certum tempus commorantur, ſoli contemplationi vacantes. Pro gubernatione Congregationis in plures prouincias diſtributi ſunt: habent Præpoſitum Generalem toti Congregationi præſidentem, & ſingulis ſexennijs Generale Capitulum, in quo mutatur Præpoſitus Generalis:

ralis : & ſingulis triennijs celebrantur Capitula Prouincialia; vbi mutantur Præpoſiti prouincialis. In ſingulis domibus habentur Præpoſiti locales, & tum Generali tū Prouinciali adiunguntur quatuor Aſſiſtentes, tum etiam Præpoſito locali quatuor Conſultores, & omnes ad rectam moderationem Congregationis intendūt. Viuunt de reditibus & non mendicant.

## CAPVT XVIII.

Catalogus Domorum & Collegiorum Congregationis Clericorum regularium Minorum.

Neapoli. { Domus Exercitiorum. / Domus Nouitiorum. / Collegium Neapolitanum.

Domus receſſus in oppido vicino.

Panormitana domus, in Sicilia. *Palermo.*

Meſſanenſis domus ibidem. } *Meßina.*

Catanenſis domus ibidem.

IN PROVINCIA ROMANA.

Romæ. { Domus Romana. / Collegium Romanum.

Mannenſis domus.

Genuenſis domus.

Bononienſis domus.

IN DVCATV VRBINATE.

Domus in Caſtello Durante, cum Bibliotheca ampliſſima, quā Dux Vrbini dedit PP. Clericis regularibus Minoribus.

Piſaurienſis domus. Peſaro.

## IN HISPANIA.

Madritenſis domus.

Compluti. { Collegium Complutenſe. / Domus Complutenſis.

Valliſoletana domus.

Caſtrillenſis domus. Caſtrillo.

Salmanticenſis domus.

Hiſpalenſis domus.

Oliſipone. { Domus Oliſiponenſis. / Domus Receſſus extra vrbẽ.

## CAPVT XIX.

CONGREGATIO CLERICORVM SÆCV-*larium Doctrinæ Chriſtianæ, à Cæſare Buſio, & P. Romillonio an. 1592. in vrbe Auenioneſi inchoata, vnitur cũ Congregatione S. Maioli Papi-ſis ſeu Somaſchæ per Paulũ V. an. 1616.*

PAVLVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Ex iniũcto nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officio, ad ea per quæ piorum hominum Congregationes, in militanti Eccleſia, præſertim ad legẽ Chriſtianam rudibus exponendam, prouidè ſancteque inſtitutæ, maioribus in dies proficiant incrementis, ſedulò intendimus.

Exponi ſiquidẽ nobis nuper fecerunt dilecti filij ANTONIVS VIGERIVS, Prępoſitus, ac Clerici ſeculares Cõgregationis DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, in ciuitate Auenionenſi canonicè inſtitutæ, quòd ipſi fœliciori eiuſdem Congregationis ſtatui & augmento conſulere volentes; eandem

Con,

Congregationem, Congregationi clericorum regularium Congregationis Somaschæ, aliàs S. Maioli Papienſis per nos vniri & incorporari deſiderant; & propterea infraſcripta Capitula cum dilectis etiam filijs Præpoſito & Clericis Regularibus dictæ Congregationis Somaſchæ ſtatuerunt, quæ à venerabilibus fratribus noſtris, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, negotijs Regularium præpoſitis, recognita & approbata fuerunt; tenoris ſequentis, videlicet:

*Conuentiones firmatæ ac ſtabilitæ inter Clericos regulares Congregationis de Somaſcha, & Patres Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Galliæ, pro vnione facienda vtriuſque Congregationis. Quod quidem negotium à ſanctiſſimo D. N. fuit commiſſum Sacræ Congregationi Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium, negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum.*

1. In primis igitur, Doctrina Chriſtianæ Patres, eorumque ſucceſſores, in perpetuũ ſecum retinebunt inſtitutum docendi doctrinam Chriſtianam paruam, mediocrẽ & magnam, iuxta laudabilem eorum cõſuetudinem, quam inuiolabiliter ſeruabũt, & in ijs domibus quas nunc poſſident, & in ijs, quas in poſterum poſſidebunt in toto regno Galliæ.

2. Reuerende Pater Cæsar de Bus, vir pieta-

pietatis eximia, Congregationiſque Patrũ doctrinæ Chriſtianæ, in regno Galliæ, primus parẽs & inſtitutor, habeatur in religione pro auctore, vt reuera fuit, huius ſanctiſſimi inſtituti doctrinam Chriſtianam in dicto regno Galliæ populos edocendi.

Patres doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, vocari deinceps, poſt factam vnionem, debebunt *Patres doctrinæ Congregationis Somaſchæ ſeu S. Maioli Papienſis*, & priuilegia omnia erunt communia.

Sub obedientia viuent Præpoſiti generalis de Somaſcha, qui ſemel ſingulis triennijs per ſe vel per alium ab eo deſtinandum, eos viſitabit. Cæterùm eorum regimen & gubernatio in toto regno Galliæ, in domibus tam acquiſitis quàm acquirendis, ſit penes Superiores Gallos: & Prouincialis ſimiliter Gallus eligendus, per Capitulum generale de Somaſcha eis inſtituatur. Qui quidem erit vnus ex duobus vel tribus Patribus nominatis ſiue Propoſitis à Capitulo Prouinciali ipſius Prouinciæ Galliæ, tempore debito congregato.

Cuius Prouincialis auctoritas erit, de loco ad locum perſonas mutare; Nouitios, per ſe vel per locorum Superiores, ad profeſſionem admittere; Concionatoribus concionandi facultatem concedere,

dummo-

dummodo ab Epiſcopis locorum licentiā ſeu benedictionem ad formam Concilij Tridentini obtineant, & alia facere, quæ Viſitatoribus dictæ Congregationis Somaſchæ conceduntur. In reliquis autem tanta ſit eius auctoritas, quanta à Capitulo Prouinciali conceditur eidem et.

Debebit tamen Præpoſitum generalem, vbi commodè poterit, conſulere, vel ſaltem de ſingulis magni momenti rebus certiorem facere.

Prouincialis ſtatim atque erit electus, cenſeatur eſſe, & ſit ipſo facto de gremio Capituli generalis, in quo vocem actiuam & paſſiuam habeat. Eius officium per triénium durabit. Ad Capitulum generale cum accedet, ſocium vnum ſeu Diſcretum, antea à Capitulo Prouinciali electum deducet: qui quidem ſocius in Capitulo generali interueniet, cum vtraque voce.

Quod ſi contingat Prouincialis obitus; eo caſu Superior, profeſſione ſenior, cenſeatur electus.

Ad Capitulum Prouinciale ſpectabit, cum maiori parte votorum, noua loca, præuio tamen Epiſcoporum conſenſu, & ſeruata forma Clementis Octaui, recipere; recepta deſerere, Superiores locales eligere vel deponere; reos, ſi qui erunt punire, aut innocentes abſoluere; curam

monialium ordinariam pro Confeſſionibus audiendis, de conſenſu & licentia eorundem Epiſcoporum, recipere, bona in vniuerſum, in toto regno Galliæ, ipſi Congregationi relicta, alicui loco particulari aſſignare; Nouitios quadrageſimum annum excedentes vel qui alterius Religionis habitum habuerint, & debitam tranſeundi facultatem à Sede Apoſtolica obtinuerint, ad probationem admittere, exemptiones diuturnas maximè ſenibus & Studentibus, ad tẽpus, non autẽ perpetuò, & ex cauſa, impertiri; locũ ꝓ Capitulo Prouinciali ꝓximè congregando determinare.

Inſuper Capitulo Prouinuiali (quod mẽſe Septembris præcedente Capitulum generale, conuocandum erit) præter Prouincialem, intereſſe debebit quilibet Superior localis, vnà cum ſocio ſeu diſcreto, à Capitulo Conuentuali eiuſdem loci, dummodo ſex ſaltem ibi reſideant, eligendo.

Quare pro parte primodictæ Congregationis, fuit nobis humiliter ſupplicatum, quatenus vnionem & incorporationẽ huiuſmodi facere, & eis in prĕmiſſis oportune ꝓuidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos pijs Clericorũ p̃dictorũ votis, quantũ cũ Domino poſſumus, annuere, illoſq; ſpecialibus fauoribꝰ & gratijs ꝓſequi volẽtes, & eorũ ſingulares pſonas à q̄buſuis

&c, cenſen-

cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio dictam *Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ*, in prædicta Ciuitate Auenionenſi inſtitutam, *Congregationi Somaſchæ* prædictæ (ita vt vnum corpus Congregationis efficiant, ac Clerici dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, regulas & conſtitutiones ſecundo dictæ Congregationis Somaſchæ, ab Apoſtolica Sede approbatas ſeruent, & profiteantur, necnon Capitula prædicta adimpleantur & etiam ſeruentur, ſaluis tamen limitationibus & modificationibus infraſcriptis videlicet, quòd Prouincialis prædictus exemptiones diuturnas huiuſmodi, nonniſi ex cauſa alicuius impedimenti, concedere poſſit aut debent) Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò vnimus & incorporamus.

Nec non cum dicto ANTONIO, vt infra quatuor menſes à die cœptæ probationis numerandos, integro non expectato probationis anno, profeſſionem per dictos Clericos Congregationis Somaſchæ huiuſmodi emitti ſolitam, expreſsè emittere liberè & licitè valeat, auctoritate & tenore prædictis indulgemus, ac cum eodem deſuper diſpenſamus. Cæteros verò primodictæ Congregationis Clericos,

atte-

antequam profeſſionem huiuſmodi emittant, annum probationis integrè complere debere.

Ac Clericos ſecundo dictæ Cõgregationis in Galliam, pro inſtructione dictorum presbyterorum mittendos, in ſtatu Eccleſiaſtico regni Galliæ locorum Superiores, etiam ſi non ſint Galli, eligi poſſe ſtatuim⁹.

Decernentes præſentes litteras validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ſuóſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, inuiolabiliter obſeruari debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter cõtigerit attentari.

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac vtriuſque Cõgregationis huiuſmodi, etiam iuramẽto, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis in cõtrariũ præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Volumus etiã, vt præſentium tranſump-

tis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Ma-
1616. iorem, &c. die 11. Aprilis 1616. Pontificatus noſtri anno vndecimo.

## CAPVT XX.

*CONGREGATIO CLERICORVM SÆCVLarium B. Mariæ, in communi viuentium, ab Alexandro Lucenſi Epiſcopo ann. 1583. inſtituta, per Clementem VIII. ann. 1595. confirmatum.*

CLEMENS Papa VIII. ad perpetuã rei memoriam. Ex quo diuina maieſtas ad Paſtoralis officij faſtigium nos, quamquam immeritos, euexit, illa, quantũ in nobis ſemper fuit, ſuperno auxilio freti facere conati ſumus, vt Confraternitates ſeu Societates aut Congregationes, quæ ad diuini cultus augmentum & animarum ſalutẽ inſtitutæ ſunt, & in obſeruatione inſtitutorum ſuorum piè & religiosè perſiſtunt, magis quotidie in illo ſuo pio & ſancto propoſito confirmarentur.

Cum itaq;, ſicut accepimus venerabilis frater ALEXANDER Epiſcopus Lucanus, iamdudum Confraternitatem ſeu ſocietatem,

tem, aut Congregationem Clericorum ſecularium & laicorum in cõmuni viuentium, ſub inuocatione & vexillo B. & glorioſæ ſemperq; Virginis MARIÆ, in eccleſia S. Mariæ Curtis *Orlandigorũ* Luca. erexerit, ac dictę Confraternitatis ſeu Congregationis cõfratribus, vt vnũ ex eis qui alijs præeſſet, ac rerum & bonorum ipſius Cõfraternitatis ſeu Congregationis curam & adminiſtrationem gereret, cuique ipſi confratres parere tenerentur, eligere, ac cõſtitutiones per eum approbandas cõdere poſſent, facultatem conceſſerit; prout in patentibus litteris ipſius Alexandri Epiſcopi, de anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio deſuper confectis plenius contineri dicitur, ac eius Confraternitatis ſeu Congregationis Confratres ſacramentorum eccleſiaſticorum adminiſtratione, diuini verbi prædicatione, & aliorum bonorum operum exemplo proximum iuuare totis viribus contendant.

Nos; vt ipſi Confratres in ſuo laudabili propoſito magis confoueantur, & ad huiuſmodi pia & ſancta opera exercenda promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus & maturos ac dulces locatori Domino obtulerunt, eoſdem longè dulciores & maturiores ac vberiores in po-

ſterum offerant, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, erectionem confraternitatis ſeu Societatis aut congregationis Clericorum ſecularium, in dicta eccleſia ab eodẽ Alexandro Epiſcopo, vt præfertur, factam, necnon omnia & ſingula in dictis patentibus litteris, erectionem huiuſmodi concernentibus contenta, quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, contenta, & inde ſecuta quæcunque, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſq; perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac omnes & ſingulos, tam iuris quã facti & ſolemnitatum in eis forſan omiſſarum defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem ſupplemus.

Et nihilominus eandẽ Confraternitatẽ in Congregationem Clericorum ſeculariũ, ſub titulo ſeu inuocatione eiuſdẽ B. Mariæ Virginis, cum eiſdem regulis, inſtitutis, & facultatibus in dicta eccleſia, auctoritate & tenore p̃miſſis perpetuo erigim⁹ & inſtituimus. Necnon nunc & ꝑ tẽpore exiſtentib⁹ Rectori & socijs dictæ Cõgregationis cõcedimus vt quæcunq; ſtatuta & ordinationes, felix regimen & guberniũ ipſius Congregationis cõcernẽtia, ac ſacris Canonib⁹,

& de-

& decretis Concilij Tridentini, ac Romanorum Pontificum conſtitutionibus non aduerſantia, condere poſſint, quæ tamen condita ab ordinario loci approbentur.

Quodq; Confeſſores dictæ Cõgregationis, qui ab Ordinario approbati fuerint, cõfeſſiones quorũcunq; ad eos accedẽtiũ. quocunq; anni tẽpore audire, & debitã illis pœnitentiam, pro modo culpæ, iniungere.

Superiores autẽ ipſius Congregationis, per ſe vel aliũ, ſeu alios ex ipſis iã approbatis, ſuos ſubditos à cenſuris, in caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, non tamen cõtentis in litteris die cœnæ Domini legi ſolitis, abſoluere, & etiam debitã illis pœnitentiam iniungere.

Nec non Superior dictæ Cõgregationis, receptos inobedientes, & illius cõſtitutionum tranſgreſſores punire, & pœnitentia, pro modo culpę eius arbitrio, ſeruata tamẽ ſemper dictarũ cõſtitutionum forma, eoſdem afficere, & ſi ſibi videbitur cũ aſſenſu maioris partis dictæ Congregationis, culpabiles eijcere, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Epiſcopi, ſeu brachij ſecularis, liberè & licitè valeant, eiſdem auctoritate & tenore concedimus.

Quodque recipiendi in Congregatione huiuſmodi, tam Clerici quam Laici, tentãtur (vbi aliter Congregationi viſum non

 fue-

fuerit remittendum ) promittere etiam cũ iuramento, ſe refecturos expenſas pro ipſis ab eadem Congregatione factas, ſi quãdo contigerit, vt ſpontè vel iuſta de cauſa expulſi ab eadem Congregatione diſcedant.

Demum quod Congregatio hæc ſit & perpetuò remaneat ſub protectione huius Sedis Apoſtolicæ, non tamen exempta ab ordinaria iuriſdictione Epiſcoporum Lucanorum, qui pro tempore erunt, quoad viſitationem & reformationem, ſi opus fuerit, iuxta conſtitutiones eiuſdem Congregationis tantùm, nec aliàs aliter, nec alio modò; nullo tamen caſu, prætextuve, aut quæſito colore aliquo, ſex ſocijs præfatis ab eadem Congregatione, ſine expreſſo conſenſu eiuſdem, vnquam extrahere, nec ab obſeruantia inſtituti diſtrahere valeant, perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

Sicq; per quoſcunq; Iudices & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, vbiq; iudicari ac diffiniri debere; nec non irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Volu-

Volumus auté, quod præſentium tranſumptis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis. cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Octobris, 1595. Pontificatus noſtri anno quarto.

## CAPVT XXI.

*REGIMEN SCHOLARVM PIARVM, AD pauperes gratis erudiendos inſtitutarum, Congregationi Clericorum ſæcularium B. Mariæ à Paulo V. anno 1614. committitur.*

PAVLVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Inter paſtoralis officij curas, quæ Romani Pontificis animum aſſiduè ſollicitum habere debent, illa non mediocris eſſe dignoſcitur, vt Chriſti fideles pijs moribus & doctrina imbuantur.

Quapropter vt pium ac maxime laudabile opus, pauperes erudiendi & inſtituendi in alma Vrbe noſtra pridem diuina gratia inſtitutum, indies magis ad Dei gloriam promoueatur, pro noſtri muneris debito

bito libenter procuramus. & cùm operarij religioſo zelo labores ſuos in agro Domini tam fructuosè impendere cupientes ſe offerunt, Apoſtolicæ auctoritatis fauore proſequimur, ac præſidio communimus, & aliàs diſponimus, prout conſpicimus ſalubriter in Domino expedire.

Sanè cùm ſicut accepimus, opus *piarum ſcholarum* à nobis in Vrbe noſtra, ad pauperes erudiendos & inſtituendos erectarum, vberes fructus ferat, operæ pretium eſſe duximus prouidere, vt pium ac ſalubre inſtitutum huiuſmodi perpetuò duret. Quod facile, Deo adiuuante, ſucceſſurum ſperamus, ſi dictarum ſcholarum cura alicui perſonarum Eccleſiaſticarum Congregationi, in qua perſonæ idoneæ veriſimiliter defuturæ non ſunt, committatur.

Cùm verò (ſicut dilectorum filiorum Præpoſiti generalis, & Clericorum ſæcularium Congregationis B. Mariæ, nec non Præpoſiti dictarum Scholarum nomine, nobis nuper expoſitum fuit) Præpoſitus generalis, & Clerici præfati, Chriſtiana caritate ducti, ſeſe onus huiuſmodi ſuſcepturos obtulerint, & habito deſuper tractatu, de cōſenſu Venerabilis fratris noſtri *Benedicti* Epiſcopi Præneſtini, Cardinalis Iuſtiniani nūcupati, earundem ſcholarū Protectoris, cum eodē Præfecto ad infra-

ſcriptas

ſcriptas cõditiones deuenerint; videlicet, quòd ſcholarum præfatarũ cura, regimen, & adminiſtratio, Præpoſito & Clericis d. Congregationis pro tempore exiſtentibus perpetuò incumbat, ipſe tamen Præfectus vita ſua durante, in huiuſmodi officio Præfecti dictarum ſcholarum, & alij qui in domo earundem ſcholarum ad præſens reperiuntur, etiam vita eorum duráte, poſſint & debeant ſecundùm ſuas proprias conſtitutiones ibi permanere. Illis autem vita functis, ſeu inibi permanere recuſantibus, in eorum locum non alij, quàm qui iuxta regulas dictæ Congregationis à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro confirmatas, ſeruare voluerint admitti debeant.

Inſuper vt tam dictis ſcholis pijs in Vrbe præfata erectis, quàm in alijs in eadem vrbe pro tempore erigendis, pauperes dumtaxat, cum fide Parochi de eorum paupertate, necnon filij nobilium, quorum familiæ ad inopiam redactæ fuerunt, cum fide eorum Confeſſariorum, vel alterius perſonæ fide dignæ, admittantur, in iiſque gratis, & abſq; vllo præmio, propter caritatem & Dei amorem erudiri debeant.

Quare nos dictæ Congregationis Clericos, vtiles fore operis huiuſmodi miniſtros firmiter in Domino ſperátes, ac Præ-

poſiti & Clericorum præfatorum promptam ad præmiſſa voluntatem plurimum in Domino commendantes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentiũ dumtaxat cõſequendum, harũ ſerie abſoluẽtes, & abſolutos fore cenſentes, nec non dictã Congregationem, illiuſque Prępoſitum & Clericos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, Præpoſito, Clericus, & Congregationem prædictę, quæ de cetero perpetuis futuris temporibus MATRIS DEI nuncupari, ac illa eius Præpoſitis & Clericis, nunc & pro tempore exiſtentes, ſub regulis & conſtitutionibus eiuſdem Congregationis à dicto Clemente prædeceſſore confirmatis, quibus nec non eiuſdem Congregationis priuilegijs præiudicare non intendimus, exceptis ijs quæ præſentibus contrariæ ſunt, militare debeant curam, regimen, & adminiſtrationem dictarum in Vrbe erectarum, & aliarũ piarũ ſcholarũ pro tempore erigendarum, cum ſupra dictis conuentionibus dictis Præpoſito, Clericis, & Congregationi, auctorita-

te & tenori præſentis perpetuò committimus, & demandamus. Ita quod liceat Præpoſito & Clericis præfatis præfatarũ ſcholarum huiuſmodi & aliarum ſimul atque erectæ fuerint, illarumque bonorum & reddituum quorumcunque, corporalem, realem & actiualem profeſſionem capere, & apprehendere, ac de illis in ſcholarum earundem beneficium diſponere.

Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ſemper & perpetuò valida, firma & efficacia fore & eſſe, dictiſque Præpoſito & Clericis, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

Sicq; per quoſcunq; Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, iudicari & definiri debere, ac irritũ & inane, ſi ſecus ſuper his & quocunque quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter cõtigerit attentari.

Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Congregationis, etiã iuramẽto, cõfirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, ac cõſuetudinibus; illis preſertim, quib⁹ cauetur expreſsè, quod Clerici dictæ Congregationes nouas domos, cum obligationibus docendi adoleſcentiã rudimẽta Grãmatices, aut litteras

hu-

humaniores, & cum alijs quibuſuis obligationibus, quibus Clerici huiuſmodi extra Eccleſiam inſeruire teneantur, recipere non poſſint, priuilegijs quoque, indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis clauſulis & decretis, conceſſis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus, pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus. cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Maio-
1614. rem, ſub annulo piſcatoris, die 14. Ianuarij 1614. Pontificatus noſtri anno nono.

## CAPVT XXII.

**CONGREGATIO ORATORII IEſu Chriſti,** *( quæ eſt piorum Sacerdotum in communi viuentium) in regno Franciæ à Petro Berulio, nunc S.R.E. Cardinale, inſtituta, per Paulum V. an. 1613. confirmatur.*

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam Dei vnigenitus Ieſus Chriſtus D.N. auctor ipſe piorum operũ fundauit, regimini, ſuperna diſpoſi-

diſpoſitione, præſidentes, pro nobis commiſſi gregis Dominici ꝓſpero ſtatu, & animarum ſalute ſolliciti eſſe compellimur, & ea ſincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum Religionis pertinent, & ad virtutum ſpectant ornamentum; ac vt piæ Chriſti fidelium Congregationes inſtituantur, & exinde vberiores fructus bonorum operum, in illis locis præſertim, vbi id magis expedire dignoſcitur, in dies, per pia & ſpiritualia exercitia accreſcant, & ijs exercitijs debitè Domino famulantes perſonæ, animarum ſuarum ſalutẽ, eodem Domino miſerante, faciliùs conſequi, cæteriſque Chriſti fidelibus vitæ ac morum exemplo proficere valeant ad ſalutem.

Sane exhibita nobis nuper, pro parte Venerabilis fratris noſtri HENRICI Epiſcopi Pariſienſis, ac cariſſimæ in Chriſto filiæ MARIÆ Francorum Reginæ, petitio continebat, quòd alias cum ipſa Maria Regina, pio deuotionis zelo ducta, vt aliquo deuotionis ſuę monumento, immenſarum gratiarum munera, quibus eam bonorum omnium largitor optimus decorauit, teſtari poſſit, diſciplinam Eccleſiaſticam, vndique ferè in regno Franciæ, hæreſum bellorumq́ue præteritorum iniuria, tum in Religione, tum etiam in moribus non parum deprauatam ac corruptam, in pri-

mæuum

mæuum & priſtinum ſuum ſtatũ, deuotioniſq́; & pietatis ſplendorem, ſalubri aliqua ratione, reſtitui plurimum deſideret; & id, re ipſa in conſultatione cum viris grauibus & pijs, ac præſertim cum dicto *Henrico* Epiſcopo pluries habita, matureq́ue diſcuſſa, vtiliùs & fructuoſius, quàm ex inſtitutione alicuius Congregationis piorum Sacerdotum, quorum ſtudium & officium ac munus ſacerdotale, iuxta ſanctũ atq; pium illius inſtitutum, debitè exequẽdum & adimplendum ſit, omnino directũ, inſtituendũ exequi poſſe nõ videatur, ipſaque *Maria* Regina vnam deuotã piorum ac probatæ vitæ Sacerdotũ, quorũ principale inſtitutũ, ſingulas actiones ordini ſacerdotali cõuenientes & eſſentiales amplecti, exiſtat, Congregationem in ipſo regno & præſertim in ciuitate Pariſienſi, vbi illa non parum deſiderari videtur, erigi & inſtitui, curamq́ue erectionis & inſtitutionis huiuſmodi dilecto filio PETRO DE BERVLLE, presbytero Pariſiẽſi (cuius miniſteriũ felici progreſſui & directioni ipſius Cõgregationis maximè profuturũ eſſe in Domino cõfidit) per nos cõmitti & demandari ſummoperè deſideret; pro parte eorundem *Henrici* Epiſcopi, & *Mariæ* Reginæ, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Congregationem piorum ac probatæ vitæ ſacerdotum perpetuò erigere & inſtituere,

illiuſque curam dicto *Petro* committere & demandare, vt præfertur, ac alias de Apoſtolicæ poteſtatis prouidentia conſulere dignaremur.

Nos igitur, quib⁹ cura & ſollicitudo cordi inſidet fidem & Religionem Catholicam propagare, diuiniq; cultus augmentũ, & vt Chriſti fideles ſinguli per viam ſalutis in hoc ſeculo gradientes, ad cœleſtia regna peruenire mereantur, procurare, præſertim vbi Catholicorum Principum vota id expoſcere, ac in Domino ſalubriter conſpicimus expedire, conſiderantes huiuſmodi inſtitutionem, ſpecialiter ſacerdotes aut perſonas ad ſacerdotalem ſtatum aſpirantes, vel ſaltem eorũ miniſterio neceſſarias, ac Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſacerdotalis dignitatis immediatum inſtiturorem, tangere & reſpicere, æquum maximè & rationi conſentaneum iudicamus, vt qui huiuſmodi inſtitutũ aggrediuntur, vltra communem fidelium deuotionẽ, ſpeciali & particulari deuotione IESV CHRISTI Domini noſtri addicantur, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech, & fons ſacerdotij in Eccleſia Chriſtiana.

Hinc pio & ſalubri dictæ MARIÆ Reginæ deſiderio fauorabiliter annuere, ac ipſum opus pium Sedis Apoſtolicæ conſolatione confouere, nec non Chriſti

fideles ad pia meritoria & ſalutaria opera exercenda, eccleſias quoque, & ſacra Dei templa deuotionis cauſa viſitanda, æternis pręmijs, ac ſpiritualibus muneribus & peccatorum remiſſione inuitare volentes, nec non HENRICVM Epiſcopum & PETRVM prædictos, ac eorum quemlibet, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à Iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, dicto PETRO apud nos de religionis zelo, vitæ, ac morum honeſtate, alijſq; probitatis & virtutum meritis multipliciter commendato, noſtram & dictæ ſedis benedictionem impartientes, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris & animarum ſalutem, vnam ſub nomine ORATORII IESV CHRISTI, Domini noſtri, Congregationem, in honorem orationum, quas in diebus carnis ſuæ fudit, vt ij, qui Congregationem ipſam ingrediuntur, eundem Ieſum Chriſtum pro nobis in oratione poſitum & pernoctantem reuereantur, atque etiam inſtituti, ad quod vocati ſunt moneantur, & præ-

ſertim

ſertim ſemper hanc præcipuam omnibus communem & omni tempore congruentem officij eorum partem, quæ in orationibus pro populo ac in Dei laudibus celebrandis verſantur, habeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, ſine alicuius præiudicio perpetuo erigimus & inſtituimus.

Dictumque Petrum, in inſtitutorem & Præpoſitum generalem huius piorum Sacerdotum, nulli antea religioni voto ſolemni addictorum, necnon & aliorum ad presbyteratus ordinem promoueri cupientium, & reliquorum ad familiaria officia neceſſariorum Congregationis, *Oratorij Ieſu Chriſti* Domini noſtri nuncupandi huiuſmodi, qui ſimul & in ſocietate religioſè viuere, & in humilitatis ſpiritu, & piæ vitæ ſtudijs Altiſſimo famulatum exhibere & impendere ſtudeant, quorum principale ac præcipuum inſtitutum ſit; perfectioni ſtatus ſacerdotalis totaliter incumbere, ſingulaſque actiones ordini ſacerdotali propriè & eſſentialiter conuenientes, ſibi ab eorum Ordinarijs, vbi ſtabilita fuerit, præſcribendas, & non aliàs amplecti; ſacerdotum inſuper, & aliorum ad ſacros ordines aſpirantium inſtructioni, non circa ſcientiã, ſed circa vſum ſcientiæ, ritus & mores propriè Eccleſiaſticos, ſe addicere volentes.

Cum plena & omnimoda facultate, poteſtate & auctoritate eidem PETRO per nos ad id aſſumpto, & à dicta MARIA Regina ſummopere commendato .... vt prædictam Congregationem huiuſmodi, tam in ciuitate Pariſienſi quam in omnib9 alijs ciuitatibus, oppidis, terris, & locis ad quæ à locorum Epiſcopis vocatus fuerit, & non aliàs, inſtituendam, ac demum pro felici ſtatu & directione perſonarum, ac bonorum ſpiritualium & temporalium eiuſdem Congregationis ſeu Congregationũ ſic erigendarum, tam circa receptionem & admiſſionem, numerum, ætatem, & qualitates in ipſa Congregatione recipiendorũ & admittendorum, eorumq; inſtructionẽ & diſciplinam, exercitia, ac modum & formam diuinorum officiorum, precum & orationum, aliorumq; ſuffragiorũ recitãdorũ, & alia ipſis Congregationibus vtilia atq; neceſſaria, quęcunq; ſtatuta, ordinationes & capitula, licita & honeſta, ſacriſque, Canonibus & cõſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Concilij Tridentini decretis minimè cõtraria, à ſancta Sede Apoſtolica poſtmodum approbanda, confirmanda, ac per ipſarum Congregationum Præpoſitum, preſbyteros, Officiales, miniſtros, & coadiutores, ſub pœnis in eis apponẽdis, adimplendis, & obſeruandis, faciendi, edendi

& con-

& condendi, factaque, edita, & condita, quoties pro illorum ac rerum & temporũ qualitate & viciſſitudine, ſeu aliàs videbitur, corrigenda, limitanda, immutanda, alteranda, ac etiam alia vt præfertur examinanda & approbanda, ac etiam, vt pręfertur, adimplenda & obſeruanda, ex integro facienda & condenda, aliaq; omnia & ſingula à ſimilium Congregationũ, nec non quorumcunq; Ordinũ approbatorũ cõſtitutoribus, aut alijs Superioribus etiã generalibus, de iure vel cõſuetudine, ſiue ex priuilegio aut aliàs quomodocunque fieri & exequi ſolita facienda & exequenda, dicta auctoritate deputamus & aſſumimus.

Omneſq; alias, ad inſtar ſupradictæ, per nos ſic erectæ, canonicè erigendas Congregationes, quas ab ea Pariſiẽſi, & à dicto Præpoſito generali quocunq; locorũ ſtabilitæ fuerint, in omnibus dependere volumus & intelligimus, ex nunc, prout poſtquam auctoritate prędicta erectæ fuerint, eiſdem auctoritate & tenore perpetuò approbamus & confirmamus.

Ita tñ ꝙ Cõgregatio Pariſienſis ſaltẽ *duodecim Presbyteris* cõſtaret, tot reddit⁹ annuos habere debeat, ex quib⁹ vnicuiq; presbytero huiuſmodi portio annua 45. ducatorũ auri de Camera obuenire poſſit. Cętetę

 verò

vero Congregationes *decem* ad minus presbyteros, ac eoſdem redditus annuos, vel quæ Sedis prædictæ Legatus, aut pro tempore exiſtens Nuntius Apoſtolicus & Epiſcopus loci, ac dictæ Congregationis ſic erectæ Præpoſitus generalis, pro loci qualitate, ſufficere iudicauerit, habere debeant.

Et poſtremò eiſdem Congregationibus ex nunc, prout etiam poſtquam inſtitutæ & erectæ fuerint, vt præfertur, pro illarum dote ac dicti Petri, nec non Præpoſiti generalis & presbyterorum eorundem pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione, omnia & ſingula, res, bona, fructus, redditus, & legata, ac eleemoſynas, tam per dictam *Mariam* Reginam, quàm alios quoſcunque Chriſti fideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda, & elargienda (ita quod liceat dicto Petro vel alio Præpoſito generali & presbyteris dictarum Congregationum pro tempore exiſtentibus, illorum omnium corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, per ſe vel alium ſeu alios, dictarum Congregationum nomine, liberè apprehendere, & perpetuò retinere, fructus quoque, redditus & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcunque,

que eorundem percipere, exigere, leuare, recuperare, ac in dictarum Congregationum vſus & vtilitatem conuertere (Diœceſani loci, vel cuiuſuis alterius licentia deſuper minimè requiſita) etiam perpetuò applicamus.

Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in vniuerſalibus, prouincialibus & ſynodalibus Cōcilijs editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis quibuſcunque, ſuperioribus & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & alijs decretis, in genere vel in ſpecie, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & ſedem prædictam, eiuſque Legatos, quauis cauſa & occaſione, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innouatis, quibus omnibus etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi,

ac ſi de verbo ad verbum & forma in illis tradita obſeruata, nihilque penitus omiſſo, inſerti forent, illis alias in ſuo robore præmanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus; cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Cæterum ad augendam fidelium deuotionem, animarumque ſaluti conſulendum, & vt Chriſti fideles ad huius inſtituti exercitium animētur atque inuitentur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius confiſi, omnibus & ſingulis presbyteris, qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur, & in ea recipientur, eorumque coadiutoribus & Oblatis alijſque miniſtris, die eorum & cuiuslibet ipſorum ingreſſus, receptionis, ac profeſsionis, ac in mortis articulo, ſi pœnitentes & confeſsi, ac ſacra communione refecti fuerint, plenariam indulgētiam & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, eiſdem auctoritate & tenore miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Poſtremo eiſdem Præpoſito, presbyteris, coadiutoribus, Oblatis & alijs miniſtris prædictis, qui Congregationibus publicis vel ſecretis, pro quocunque opere pio exercendo interfuerint, aut pium aliquod

quod opus circa functiones ſuas exercuerint, toties, pro quolibet præmiſſorum piorum operum, & vt magis ad ſui inſtituti opera animentur, & ſuauius ad ea inuitentur, ſexaginta dies de iniunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs etiam Apoſtolica auctoritate & tenore, huiuſmodi miſericorditer relaxamus, necnon tam ipſis, quàm omnibus alijs Chriſti fidelibus, qui etiam vere pœnitentes ac confeſſi, ac ſacra cõmunione refecti, eorundem presbyterorum Eccleſias, aut Oratoria, in ſanctiſſimi Corporis Chriſti, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis feſtiuitatibus, ac in quo Eccleſiæ ſeu Oratoria dictorum presbyterorum in vnaquaque diœceſi ſeu loco proxima vice populo aperientur, die, deuote viſitauerint, ſimili Apoſtolica auctoritate, tenore præſentiũ, etiam indulgentiam plenariam & omniũ peccatorum ſuorum remiſſionem, concedimus & elargimur, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo *&c.* Si quis autem, *&c.*

Datum Tuſculi, anno à Natiuitate D.N.
Ieſu Chriſti 1613. VI. Maij, anno 1613.
Pontificatus noſtri
octauo.

(∴)

## CAPVT XXIII.

*DOMVS ET COLLEGIA PRESbyterorum Oratorij Domini Ieſu, in regno Franciæ & alibi.*

ORatorium Pariſienſe, prope Luparam, olim palatium Ducis Ioienſa. *A Paris proche du Louure.*

Domus Inſtitutionis & Seminarium S. Maglorij, in Pariſienſi ſuburbano S. Iacobi. *S. Magloire aux fauxbourgs de S. Iacques.*

Eccleſia noſtræ Dominæ de Virtutibus, altero lapide à Pariſijs. *Noſtre Dame des Vertus, Paroiſſe.*

Eccleſia collegiata in opido Montinorenciaco, quarto lapide à Pariſijs. *Montmorencij.*

Prioratus & eccleſia parochialis de Marines, decimo lapide à Pariſijs, beneficio Domini de Sillerij, Cancellarij Franciæ.

Dieppenſe Oratorium, à Pariſienſe ſecundum, cum Collegio ſeu Gymnaſio litterario, à Cardinale de Ioenſe, Archiepiſcopo Rotomagenſi, inſtitutũ. *Dieppe en Normandie.*

Rotomagenſe Oratorium. *Rouen.*

Montfortenſe in capella noſtræ Dominæ, quarto lapide à Rotomago. *La chapelle de N. Dame de Montfort.*

Pero-

Peronenſe Oratorium & Collegium litterarium. *Peronne.*

Prioratus de Maule, prope vicum & Baronium de Maule, beneficio D. Harlei, Baronis de Sancij.

Prioratus de *Rairoy*, prope Meldas, *Meaux*, beneficio domini Potier, Secretarij Regij.

Trecenſe Oratorium. *Troye en Champaigne.*

Lingonenſe Seminarium & Oratorium, *Langres*, à Sebaſtiano Zamet Epiſcopo Lingonenſi fundatum.

Diuionenſe Oratorium in Ducatu Burgundiæ. *Dijon.*

Cabilonenſe, ibidem. *Chaalon.*

Maticonenſe Seminarium & Oratorium, *Maſcon.*

Belnenſe Collegium & Oratorium. *Beane.*

Lugdunenſe Oratorium. *Lion.*

Lugdunenſe Seminarium, à Canonicis eccleſiæ Metropolitanæ inſtitutum, ad clerum eiuſdem eccleſiæ formandum.

Montbriſonenſe Collegium apud Seguſianos. *Montbrizon en Foreſt.*

Oratorium Noſtræ Dominæ de Gratia, primo lapide à Monte-Briſonio.

Maſſilienſe collegium & Oratorium. *Marſeille.*
Aquenſe Oratorium. *Aix en Prouence.*
Biterrenſe. *Beziers.*
IN PROVINCIA ET VICINO tractu ſunt inſuper decem plus minùs Oratoria ſeu Collegia, à R. Patre Romillon, & alijs Clericis Doctrinæ Chriſtianæ inſtituta, quæ Patribus Oratorij ſunt tradita ab ijs qui ſe Congregationi Sancti Maioli Papienſis ſeu Somaſchæ adiungere recuſarunt.
Toloſanum Oratorium cum eccleſia Parochiali. *Toulouſe.*
Domus Inſtitutionis. ibidem.
Condomenſe Collegium & Oratorium. *Condom.*
Rupellanum Oratorium cum eccleſia Parochiali primaria. *Rochelle.*
Lucionenſe Seminarium. *Luſſon, ab Armando.*
Ioanne de Richelieu, olim Lucionenſi Epiſcopo, poſt S. R. E. Cardinale inſtitutum.
Nitiobrigenſe Oratorium. *Niort en Poictou.*
Andegauenſe Collegium & Oratorium. *Angers.*

Nampe-

Namnetenſe Collegium & Oratorium in Britannia minore. *Nantes.*

Salmarienſe Collegium litterarium & Oratorium. *Saumur.*

Oratorium Noſtræ Dominæ de Ardillerijs in ſuburbano Salmurienſi. *Noſtræ Damæ des Ardilliers.*

Turonenſe Oratorium. *Tours.*

Cenomanenſe Collegium & Seminarium, *Mans*, ab illius vrbis Epiſcopo excitatum.

Clarimontanum Oratorium. *Clermont en Auuergne.*

Vindocinenſe Collegium & Oratorium. *Vendoſme.*

Riomenſe Collegium & Oratorium. *Riom.*

Niuernenſe Oratorium. *Neuers.*

Aurelianenſis domus Inſtitutionis & Oratorium. *Orleans.*

Bituricenſe Oratorium. *Bourges.*

Ambianenſe, *Amiens*, & alia alibi in regno Franciæ.

Nanceianum Oratorium cum eccleſia Parochiali in Lotharingia. *Nancy.*

Poligniacenſe, in Comitatu Burgundiæ, *Poligny.*

Salinenſe, ibidem. *Salins.*

Romanum Oratorium in eccleſia S. Ludouici. *Rome.*

Loua-

Louanienſe Oratorium , ab illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Iacobo Boonen Archiepiſcopo Mechlinienſi, fundatum ac dotatum. *Louain, Löuen*

Melbodienſe in Hannonia & diœceſi Cameracenſi. *Maubeuge.*

FINIS.

INDEX

# INDEX RERVM MEMORABILIVM.

ALexander Hegius pag. 6. S. Ambroſij oblatos inſtituit S. Carolus Borromæus 133
Barnabitarum origo 14. 16. & 23
Camillus Lælius inſtituit Clericos regulares Miniſtrantes infirmis. 137. 141. S. Carolus Borromæus inſtituit oblatos S. Ambroſij 133. S. Crucis Societas in diœceſi Vicentina. 142
Doctrinæ Chriſtianæ Clerici inſtituuntur à Cæſare Buſio 155. Vniuntur cum congregatione S. Maioli Papienſis ſeu Samaſchæ 156
Embricenſis domus fratrum vitæ communis 6
Franciſcus Haræus 7. fratres vitæ communis à Gerardo Magno inſtituuntur. 3
Gerardus Magnus Dauentrienſis. 4
Heluetiorum Collegium à S. Carolo Borromæo fundatum. 137
Hieronymus Æmilianus Venetus auctor Congregationis Somaſchæ. 69
Ioannes Auguſtinus Adornus Genuenſis inſtituit Clericos regulares Minores 144. Ioannes Miræus Epiſcopus Antuerpienſis. 7
Lucæ in Italia ab Alexandro Epiſcopo inſtituitur Congregatio Clericorum B. Mariæ. 162. & 167
S. Maioli Papienſis Clericorum origo. 75. 155. Miniſtrantium infirmis Clericorum origo 137. Minores regulares Clerici à Ioanne Auguſtino

guſtino

guſtino Adorno inſtituuntur 144
B. Mariæ Clerici ſæculares inſtituuntur Lucæ in Italia 162. & 167
Nouiomagenſis domus Fratrum vitæ communis 6
Oblatorum S. Ambroſij origo 133. Oratorij in Italia origo 84. In Gallia 172
S. Pauli Clericorũ origo 14. 16. & 23. S. Philippus Nerius Oratorij fundator in Italia 84. canonizatur per Gregoriũ XV. Papam 100. Petrus Perulius Cardinalis fundator Oratorij in Gallia 172
Rhætorum & Heluetiorum Collegium à S. Carolo Borromæo fundatum 137
Schola fratrum vitæ communis 6. Scholæ piæ in Italia 167. Societatis Ieſu origo 25. Prouinciarum & Collegiorum eiuſdem Societatis catalogus 35. Somaſchenſis Congregationis ab Hieronymo Æmiliano inſtitutæ origo 69 progreſſus 75. 155
Theatinorum origo 9. Thomas Kempenſis 7
Veſalienſis domus fratrum vitæ communis 6
Windeshemenſe Capitulum ſeu congregatio Canonicorum regularium. 7

FINIS.

## Errata emendanda:

PAg.3.*lin.vlt.lege* pate.*p.* 4.*lin.*6.*lege* Sorbona.*pag.*7.*lin.*9.*dele* poſt rem, *& lege* plerique.*pag.*9.137.*&* 162.*lege*,cõfirmatur. *pag.*3 .*lin.*6.*dele* priuati, *& lege*, ſanctiſſimi. *pag.*69.*&* 144,*lege*,approbatur.*pag.*70.*lin.* 6.*dele* Miani, *& lege Æmilianus.pag.* 84.*lin.* 22.*dele*,approbatum*&*.*pag.*95. *lin.*23.*lege*, natus.*pag.*100.*lin.*16.*lege*, Ceruienſe.*pa.*156 *lin.vlt.lege*,*reuerendus*.*pag.*163.*lin.*5.*le.*Lucæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MIRAEUS
de
Congregation
Clericorum

Th
4918